

Die  
**Dynasten, Freiherrn und Grafen  
von Bocholtz.**

---

Dritter Band:


**Chronik der Abtei Gladbach.**

---

Ladenpreis:

Gewöhnliche Ausgabe  $3\frac{1}{2}$  Thlr., Prachtausgabe 7 Thlr.






CHILOLOGIA

# ALBANIENS GEDRUCKTE BANDEROLEN

mit dem Titel: „ALBANIEN“

= We

1790



Borcholtz-Alme.

# Chronica ABBATIAE GLADBACENSIS

edidit, notis documentisque

illustravit

A. Fahne,

Toparcha in Castro Roland.

## Tertia pars

*historiae dynastarum, baronum et comitum  
gentis bocholtanae.*



---

Coloniae, 1856.

*Apud J. M. Heberle (H. Lemperitz).*

Die

# Dynasten, Freiherrn und Grafen

Von  Boeschitz,

nebst

## Genealogie derjenigen Familien,

aus denen sie ihre Frauen genommen.

---

Mit urkundlichen Belegen

von

**A. Fahne,**

Friedensrichter, Rittergutsbesitzer zu Schloss Roland, Ehrenmitglied der königlichen Academie zu Gent, der königlichen Gesellschaft der Alterthumskunde zu London, der historisch-archäologischen Gesellschaft zu Maastricht; Mitglied des Vereins für Geschichte und Alterthumskunde Westphalens, des Vereins für Geschichte und Alterthumskunde zu Wetzlar u. s. w.

---

**Dritter Band:**

## Chronik der Abtei Gladbach.

Mit Wappen.

---



CÖLN, 1856.

Bei J. M. Heberle (H. Lempertz).



# Die Düsseldorfer Zeitung



1820.

Gesellschafts- und Familienblatt

von dem neuen Leben auf der Erde.

Düsseldorf, Buchdruckerei von H. Voß.

Einheitspreis pro Band 12 Thaler, pro Heft 1 Thaler.

## Band 196. 1860.

Die Düsseldorfer Zeitung ist eine wöchentlich erscheinende Zeitung, die sich auf die gesamte Presse des Rheinlandes konzentriert. Sie ist die älteste Zeitung in Düsseldorf und hat eine lange Tradition. Die Zeitung ist bekannt für ihre umfassende Berichterstattung über Politik, Wirtschaft, Kultur und Sport. Sie ist eine wichtige Quelle für Informationen über das Leben in Düsseldorf und den gesamten Rheinlanden.


## Redaktion

Die Redaktion der Düsseldorfer Zeitung besteht aus einer Gruppe von erfahrenen Journalisten, die sich auf verschiedene Bereiche spezialisiert haben. Sie sind für die Herausgabe und Bearbeitung der verschiedenen Abteilungen zuständig.





## Praefatio.



amiliae praenobilis Bocholtanae historiam illustrantibus monumentis chronica monasterii Gladbacensis coloniensis diocesis, ordinis benedicti, praecipue adnumeranda sunt. Nam plures in eis continentur notitiae de personis ex gente Bocholtana et imprimis necrologia duorum abbatum ex eadem stirpe progenitorum et in reformatio dicti ordinis exemplo, doctrina et paeceptis insignium, nec non aliis virtutibus paeclarorum. Insuper enarrantur, praeter nonnullas fabulas, varia gesta et facta provinciae nostrae incolarum et familiarum pristinum statum concernentia, profanam et ecclesiasticam historiam augmentare et ampliare valde idonea. Hae rationes chronica in publicum proferri flagitabant.

Exstant quatuor varia manuscripta, quae resgestas abbatorum gladbacensium tractant, quorum primo, incerti, ut videtur, auctoris, paeclarus doctor Godefridus Eckertz et E. J. Conradus Noever ad edendas suas elaborationes usi sunt, cum titulo:

*Die Benedictiner-Abtei M.-Gladbach, Köln 1853 kāl J. M. Rebele (H. Lempertz.) 8°*

Duo alia in museo meo asseruantur et quidem primum papyrium inscriptum:

*Catalogus Praedatorum Abbatariae s. Vitii martyris in Gladbach a fundatione secunda facta anno 972 ad S. Gerone Archiepiscopum coloniensis;*

incerti auctoris, continet vitas abbatum et eorum epitaphia de Abate Sandrardo usque ad Brunonis Charmans electionem 1659. Annexa est:

*Historia antiquissima de fundatione monasterii S. Vitii mart. in Gladbach cuius auctor vixit circa annum 1060 in qua relationes continentur, quas Knorr in libro suo a praefatione incipiente: „in domo patris familias“ etc. usque ad „amen“ capituli XXII descriptsit et quae in foliis sequentibus 1—6 impressae sunt. Post dictum capitulum XXII sequitur inscriptio epitaphii Alberti inferius pag. 85 impressi.*

Alterum manuscriptum musei mei, non minus papyrium sub titulo:

*Chronicon Abbatariae Gladbacensis*

probatur copia subsequentis manuscripti papyri, quod doctissimus J. Mooren, pastor in Wachtendonc possidet et mihi gratissime paebebatur, cum titulo:

Liber de fundatione et Abbatibus monasterii S. Viti martyris in Gladbach ex vetustissimis archivis (sic) Gladbachensis monumentis collectus opera et studio Rev. domini Petri Knor Abbatis 1719

et quo usus est in suis et doctissimi pastoris Binterim investigationibus editis sub titulo:

Die alte und neue Epistolarie Köln 4 Bände.

His duobus posterioribus manuscriptis qua completerioribus in edendis his chronicis usus sum et ex comparatione eorum cum manuscripto secundo superius allegato textum multo correctiorem reddidi. Variantes infra notatae sunt.

Continuatio manuscripti Knor, scilicet vitae Abbatum van dem Berg, Specht, Raves et Ahn, de diuersis in lapsu temporis conscriptae sunt, prout diuersitas scripturæ euidenter approbat.

Quid de meis adjectionibus dicam, sunt documenta adhuc inedita et notae textum illustrantiae.

Datum in Castro Roland die s. Cypriani 1855.

**Fahne.**

## VARIANTES.

| Pag.       | 1 in praefat. | loco:   | astutia serpentina, | habet meum ms.:  | astutia |
|------------|---------------|---|---------------------|--|---------|
| o o o      | o             | simili stylo  | o o o               | humili stylo   |         |
| o o o      | o             | relatorem   | o o o               | relationem   |         |
| o 2 o Cap. | I o           | archiepiscopus  | o o o               | episcopus  |         |
| o o o      | II o          | virtutum botryes-respergebatur                        | o o o               | botros virtutum-spargebatur                                      |         |
| o o o      | IV o          | maturius mensam                                       | o o o               | citius mensam  |         |
| o o o      | o             | cutello in genu                                       | o o o               | cutello vniuers in genu  |         |
| o 3 o o    | V o           | sic habitationes eorum mundas                         | o o o               | sic habitationis eorumdem mundus                                 |         |
| o o o      | o             | remigrandum sperans                                   | o o o               | remigrandum operans  |         |
| o 4 o o    | XIV o         | eruditibat, seruio                                    | o o o               | eruditibat, discretio,   |         |
| o 5 o o    | XVII o        | cum vix sufficeret digne dispen-                      | o o o               | cum vix sufficeret dispensare propriam. Exinde con-              |         |
|            |               | sare propriam. Exinde consulto                        |                     | sulto cum primoribus habito mature accelerauit facto et Volradum |         |
|            |               | cum primoribus habito mature                          |                     | Abbatem cum omni s. Viti con-                                    |         |
|            |               | accelerauit facto et Volradum                         |                     | gregatione misit in monasterium                                  |         |
| o 5 o Cap. | XVIII o       | Abbatem cum omni s. Viti con-                         |                     | die noctuque hand sequiter ac-                                   |         |
|            |               | gregatione misit in monasterium                       |                     | celeraret  |         |
| o o o      | XIX o         | die noctuque hand sequiter ac-                        | o o o               | Die noctuque haud sequis iter acceleraret                        |         |
| o 6 o o    | XX o          | celeraret   | o o o               | sed de stiuet curaret salute                                     |         |
| o o o      | XXII o        | sed si de suamet curaret salute                       | o o o               | vel quid ipse posset unde cunque praecario vel quoquo            |         |
|            |               | vel quid ipse posset unde cunque praecario vel quoquo | modo                | modo   |         |
|            |               | modo  | ipse de talibus     | ipse de talibus  |         |
|            |               | latere  | o o o               | latet.   |         |

## ERRATA.

| Pag. 5     | 2 Linea inferior | loco:                           | hoc lege: haec |
|------------|------------------|---------------------------------|----------------|
| o 9        | 1 o o o          | Damae lege Danie                |                |
| o 10       | 12 o superior    | dicens lege dices               |                |
| o 12       | 2 o o o          | bonis*) lego bonae              |                |
| o 13       | 14 o inferior    | habili ri lege habituri         |                |
| o 15       | 34 o o o         | praelibatis lege praelibatis    |                |
| o 16       | 19 o o o         | virilis lege virilis            |                |
| o 26       | 33 o o o         | Wolphelmi lege Wolphelmus       |                |
| o 31       | 18 o o o         | S. Theodericus lege Theodericus |                |
| o 4        | 17 o o o         | quae lege qua *                 |                |
| o 32       | o o o o          | otum lege notum                 |                |
| o 33**) 30 | o o o o          | animof erre lege animo ferre    |                |
| o 40       | 17 o o o         | postros lege nostros            |                |

| Pag. 40**) 35 | Linea superior | loco:  | enstentia lege: sententia                                  |
|---------------|----------------|--|--|
| o 42          | 1 o o o        | D. Wilhelmus de Oranien lege Giselbertus de Wels |  |
| o 53          | 9 o o          | inferior   | Adriani Pape IV. lege Adriani Papae VI                     |
| o 61          | 1 o o o        | os lege of                                       | Worum lege Wohe nun  |
| o 63          | 9 o o o        | superior   | Grundherren, Wie lege Grundherren, wie                     |
| o 64          | 23 o o o       | oas lege das                                     | fronen lege fronen   |
| o o           | 35 o o o       | oas lege das                                     | Fraciea lege Franciae                                      |
| o 65          | 7 o o o        | oas lege das                                     | 81 ultima aVLante lege aVolante                            |
|               |                |  | 88 in indice locorum locus Leiglingen pag. 2 est ommissus. |

\*) ita in omnibus manuscriptis.

\*\*) Erroris harum duarum paginarum solum modo in paucis exemplaribus inveniuntur, ipsis durante imprecisione occurrere mihi processit.

L i b e r  
de  
Fundatione et Abbatibus Monasterii S. Viti Martyris  
*in Gladbach ex*  
**Vetustissimis Archivii Gladbacensis Monumentis**

Collectus opera et studio Reuerendissimi Domini

**Petri Knor Abbatis.**

1717.



onasterium hoc situm in Ducatu Juliacensi Gero Archi Episcopus Coloniensis non tam fundavit quam eversum ab Hungaris restaurauit, vti liquet ex antiquissimis dicti Monasterii monumentis.

Anno siquidem Christi 798. Regni Caroli Magni circiter 31. quando dedicatio Basilicae Aquisgranensis celebrata est, iisdem annis prior Monasterii praefati in finibus Molensem, fundatio, structura, et dedicatio facta est a Balderico Comite Franciae et Hitta ejus vxore, quod Hungarorum malitia postmodum anno 952 destructum, pietate et studio Geronis Episcopi, divinitus admoniti, restauratum est anno 972. juxta antiquissimam in Choro affixam tabellam, cui sequentes versus inscripti leguntur.

Dum nongentenus, sexagenus, duodenus  
Annus erat, Christe tibi fundavit Praesul Agrippae  
Vir sanctus, tantus, quod adhuc in Corpore cantus  
Spirituum modulus, audivit Coelicularum  
Monstrantum loculos, et nomina Reliquiarum.

Praenominatorum Fundatorum tam Balderici quam Geronis meminit antiquissimus defunctorum Cathalogus his verbis: k. Octobris Baldericus fundator hujus Ecclesiae vel Monasterii ante adventum Hungrorum Hitta Vxor ejus. Item: III. k. Julij depositio Domini Geronis Episcopi Coloniensis fundatoris hujus Ecclesiae. Ab hujus foundationis tempore dictus est locus ille Gladebach a praeterfluente ad radicem montis in quo Monasterium extat exstructum, rivulo, tendente contra solis ortum, lubrici torrentis quasi Glattebach. Quo vero casu et eventu, cuius auxilio, et quo loco idem Gero Monasterium supramemoratum extruxerit, libet ad longum ex vetustissimo ejusdem Monasterii libello manu scripto non cuivis obvio, recensere, cum multa contineat observatione dignissima, cuius scriptor circa annum Domini 1060. vixit, authoremque hujus historiae nominat Henricum Abbatem in fundatione posteriore in ordine sextum vti paulo post patebit, qui fuit avunculus sancti Wolphelmi Abbatis, atque in hunc modum praefatur.

### P r a e f a t i o .

In domo Patris - familias habentur vasa multiplicia communiter quidem, sed differenter necessaria, nam cum quaedam ad gloriam, quaedam vero sint ad contumeliam, quae videntur viliora saepe probantur vtiliora: contraque quae cariora, minus vtilia; sunt quidem aurea et argentea in diuitum thecis diligenter reposita: sunt lignea et testea diuitum ac rusticorum usibus aequa ministrantia, haec ergo pretiosiora: illa vero sunt vtiliora; sic, nimirum dialecticorum et rhetorum astutia serpentina sapientibus solis: simplicitas vero columbina doctis simul patet et idiotis, vnde nos consulentes simplicioribus intentionis nostrae seriem simili stylo descripsimus, succingentes eam et rusticitatem deuitantes, quam maxime potuimus, ne sermo grauis, vel minus horreret incultus, aut ultra modum fastidium generaret productus. Verum ne quis juniores nos, quod non accepimus, finxisse calumnietur, relatorem habere veracem gloriamur, cui nos non solum, sed testimonium

dicunt, quotquot eum nouerunt. Abbas enim Henricus cum veneratione nominandus hujus historiolae nobis author extitit, qui et tantos testes nominauit, quantos in ipso, de quo agimus Monasterio, abbates et seniores probatos fuisse contigit. Habemus autem et nos cum aliis idoneum testem Dominum Wolphelnum Monasterii Braweilerensis abbatem, cui pro Religionis ac Sapientiae reuerentia fides est major adhibenda qui a praefato venerabili viro tanto enucleatius omnia percepit, quanto familiarius cum eo, utpote avunculo suo conversari meruit. Scribere vero proposuimus Monasterium illud Gladbacense reuelatione diuina constructum, qualiter quotiesque sit invidia instigante destructum, ut inhabitantes cum abbatibus pulsi atque transmigrati, donec demum in miserendi tempore sanctissimo nostro Patrono VITO interveniente licet non in pristinum statum, utcumque tamen reformatum, atque stabilitum est. Sed his ad exhortandam fidem, simul et legendi curiositatem Lectori praelibatis, ad exordiendam accingamur materiam narrationis.

## Caput I.

Gero Archi Episcopus Coloniensis Tricesimus sub Ottone I. et II. Imperatore diuinitus admonetur de constructione Monasterii Gladbaensis.

Recordationis piissimae Gero, successor datus Folckmaro Coloniensi Archi Episcopo, cura pastorali solerter invigilauit gregi sibi commisso, bonis enim pollens moribus, per cuncta laudabilis, non a se, sed est a Deo commendatus. Cum autem, quam ruminabat sedulus deuotionem, in aliquam Deo placitam transferre conaretur actionem, reuelatum est ei diuinitus, quod in colle consito nemoribus, rivulo praeterfluente, Deo et pretioso illi Martyri VITO Monasterium deberet construere coenobiali regulariter informatum religione.

## Caput II.

S. Gero ex Monasterio s. Maximini prope Treuiros auersit S. Sandrardum, quem praefecit intento operi.

Pontifex itaque Deo plenus divinae voluntatis executor haud taediosus, de coenobio S. Maximini unde tunc temporis Monasticae Vineae virtutum botryes germinantis odor longe lateque respergebatur floridus, virum consivit strenuum praelibato operi preponendum, disciplinis regularibus apprime eruditum nomine Sandrardum: cui cum propriae voluntatis diuinaeque panderet ordinem reuelationis, placuit in commune singula suae Dioecesis loca circuire, sic forte locum a Deo praelectum inventum iri.

## Caput III.

S. Gero emitit Exploratores, ut de loci diuinitus sibi reuelati situatione certior efficiatur.

Exeentes ergo exploratores pii actiones suas postulabant Deo aspirante praeveniri, et adjuvante prosecutum iri, multisque Saxoniae locis indagine curiosa circumspectis, Leigelingen devenerunt, ibi post corporum recreationem, facta deambulatione perspicaciter omnia desiderantes considerare, locum invenerunt ut eis visum est, visioni congrue respondentem, fluviumque Wiperam prope fluentem. Quocirca laeti admodum effecti, et quod votis omnibus quaerebant, se invenisse rati, Domino, qui puris manibus et mundo corde invocantibus semper praesto est, laudes dicunt, moxque Monasterii officinarumque spatium vallo cingunt.

## Caput IV.

Deus occasione homicidii pandit non esse locum Geroni praemonstratum, in quo aedificare cooperant.

Verum omnipotens Deus, qui fidelium vota clemens dignatur intueri, passus non est eos incassum diutius fatigari, sed aperte signavit hunc non esse locum, quem Antistiti devoto construendum praemonstravit; nam coepito opere et jamjam indies proficiente nuntii venerunt Imperatoris Ottonis II. post obitum Patris in administrationem Monarchiae recens ordinati. Quorum adventu gratulabundus Episcopus, ut humani mos est ingenii, in rebus agendis amicorum fauoribus delectari, accepta legatione, praecepit solito maturius mensam parari, et omnibus affluenter epulantibus, nuntiisque Regiis contra Episcopum honorabiliter residentibus: unus enim ex ipsis clericus, et alter erat laicus: misit iis Antistes jecur cervinum laetus curatum, erat enim tempus autumnale, quo venatio imminet cervorum praecipua. Laico autem carnem incidente saepius, clericus incisam rapiebat audius, donec quasi jocando laicus cultello in genu levissimum inflxit clero, moxque cum tenui sanguine in ipso mors est subsecuta momento.

## Caput V.

S. Gero ex innopinato homicidio colligit locum inventum et aedificari coeptum a Deo nequaquam esse praeordinatum, et desuper sermocinatur ad eos qui aderant.

Stupendibus vero qui aderant universis, et de eo, quod acciderat, mente consternatis, varia quoque more vulgi opinione gentili conferentibus, spiritu sapientiae et intellectus repletus Episcopus, silentio facto, in haec est verba concionatus. Nemo fortuitum putet, ut vulgus garrit indoctum, vel fatale, quod in praesentiarium cernitur contigisse. Fatum enim vel fortuitum nihil esse constat: sed prouidentia diuina rite, quae condidit, regit, proprio nutu, dispensat, quod si homo rationalis apertos semper teneret oculos mentis, invigilans ad adventum Judicis, nequaquam ita formidabiliter in subitanei foveam mortis incideret. Nam pie monens in Evangelio Dominus ait: vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus venturus est. quia ergo et venturae mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus. superest, ut ante mortem tempora indulta rapiamus, sic enim, sic mors ipsa, cum venerit, vincitur, si priusquam veniat, semper suspecta timeatur. De hujus autem fratris nostri judicare non permittetur occasu repentina, sed ejus, qui omnia novit, antequam fiant, reseruamus judicio. Verum futurorum praescius Deus, reuelans arcana, quae nulla sui perspicacitate mens praevidet humana, nobis serbis servis suis ostendit, quae hoc in loco coepimus, non sibi voluntaria. Non enim credendum, quod hunc locum in constructionis initio, tam stupendo sineret pollui homicidio, si inhabitacionis monachicae dignaretur insignire priuilegio. Nam sicut monachis mundo mortificari, solique Deo viuere, manet arduum votum: sic habitationes eorum mundas et sine pollutione nefaria, vel criminali, sollicitudo debet praevidere constructorum, et custodire pastorum; Unde quia nec hunc Dominus elegit locum voluntati ejus per omnia parendum, et ad alia censeo emigrandum, sperans in bonitatis ejus clementia, quia quod coepit in nobis bonum, perficiet. Et nunc quidem pro humanae sortis miseria nobis in commune est dolendum, simulque orandum, ut pius Deus et exorabilis hunc famulum suum, ab omnibus absoluat peccatis, quem occulto suo judicio tam terribiliter casu praeveniri permisit mortalitatis.

## Caput VI.

Communes funduntur preces pro clero occiso, intentissimeque locus a Deo reuelatus investigatur.

Post haec orante qui aderat populo, corporeque defuncti a commilitonibus ad alia translato rursus Antistes infatigabiliter conatur redintegrare laborem, quem per divinam reuelandum sperabat consolationem, ac ita demum moventes inde citra Rhenum statuerunt inquisitionem facere, et multa praetereuntes ultra terminum dioecesis appropinquaverunt Molensem fines. In ipsis ergo finibus mons erat in cultus nemorum densitate opacus, Ecclesiae veteris vix ostentans ruinas, et habitationes iam dudum pene neglectas.

## Caput VII.

Primus fundator Monasterii Baldericus ex Regni Primoribus tempore Caroli Magni pretiosissimis tum reliquiis tum redditibus sufficientibus Monasterium dotavit.

Fertur ab antiquioribus Caroli Magni temporibus Baldericum quendam ex Regni Primoribus in isto Monte fabricasse Ecclesiam, et cum pretiosissimis sanctorum reliquiis, cumque sufficientibus redditibus velut sponsam dotasse pulcherrimam. Postea vero Ottone primo annum XVII. in sceptris agente, Ungarorumque nefandissima gente peccatis exigentibus Galliam, Germaniamque devastante, et ad istas partes appropinquante, custodes Ecclesiae Sanctorum reliquias in grandi cavato lapide, quem hodie cernere licet, suposuerunt terrae, quatenus sicut evenit, si se tueri non praevalerent et sua, saltem non permetterent margaritas et sancta subibus, canibusque proculcanda.

## Caput VIII.

In istius ergo montis habitatione, dum consisterent circa nonas Julii, occupato in aliis Episcopo venerabili, vir religiosus Sandrardus, secundum consuetudinem egreditur ad explorandum situm loci, ubi, dum rivulum cerneret praeterfluentem ad radices montis, vallemve fontibus undique scaturientibus, habilem piscinam, intellexit vir Deo deditus hunc locum S. Episcopo reuelatum divinitus. Et exhilaratus corde Pontificem advocavit concite, ostendens ei ex visionis consonantia loca diu desiderata.

## Caput IX.

Diuinitus ostenditur locus per cantum angelicum.

Exultantes autem laetitia spirituali triduano jejunio condixerunt inspiratoris omnium bonorum clementiam invocari, quatenus aperta signaret ostensione, si hunc montem construi Pontificali praefiguraret



visione. Celebrato siquidem jejunio tertiam noctem pervigilem ducentes, audierunt circa galli cantum Spiritus beatos, in loco, in quo nunc est oratorium in honorem S. VITI Martyris. antiphonam hujusmodi modulatione canentes. Beatus VITVS illaesus ab igne cibani decantabat, probasti me Domine sicut aurum igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

## Caput X.

Accingentes se operi construendi Monasterii, reperiuit sanctas reliquias.

Mane autem facto retulerunt utrimque, quod audierant, cum nimio congratulationis gaudio, et certi iam facti de oraculo, accinxerunt se viriliter operi mox futuro: sed in operis Deo placentis augmentum, coelestem terra protulit thesaurum; nam sapientes architecti, fodientes circa obsequii Angelici, quod perceperant noctu, locum invenerunt, Gloria tibi Christe, lapidem supra memoratum, in quo pretiosissimorum Martyrum condebandunt reliquiae: VITI, CORNELII, CYPRIANI, CRISANTHI et BARBARAE.

## Caput XI.

Sanctus Gero Monasterium fratribus instruit sub Directione Sancti Sandrardi Abbatis.

Antistes itaque beatus in agendis, quae Dei sunt, nescius moram pati, coadunavit undique fratres spiritu ferventes, et orationi instantes, Domino servientes, quibus iam pridem probatum Abbatem ordinavit Sandrardum. Sic igitur habitatione coelesti, fundata lapidibus viuis, Deo deuotus, Pontifex haud segniter instabat oratorio, Monasterialibusque officinis, donec pro voto suo complevit, et in honore Salvatoris Mundi S. Mariae, Viti, Stephani Protomartyris, Georgii, Gangolfii, Cornelii, Cypriani, Crysanthi, et Barbarae dedicavit et redditibus pro fratum necessariis sufficientissime cumulavit. Fidelis enim dispensator considerabat prudentissime theoriken regularis vitae nullatenus uniformiter constare, nisi sufficiat Abbas, singulis sua necessaria tribuere, nullique licitum, vel opus esse quid proprietatis habere. Apposita enim forma cui imprimantur, primitivam illam Ecclesiae nascentis institutionem votive monachi aemulantur: vbi erant omnia communia et multitudinis credentium cor unum et anima una.

## Caput XII.

Sanctus Gero Monasterium Pontificis et Regalibus priuilegiis munit.

Igitur Antistes gloriosus diuina se comitante gratia, voti compos effectus a se Monasterium constructum haud ratus autoritate propria satis firmum, stabiliri munificentia regali, et sedis apostolicae priuilegiis elaboravit insigniri. Unde quam diu ipse in corpore vixit, locus cum congregatione apud Deum et homines crescendo profecit.

## Caput XIII.

Mortuo sancto Gerone succedit Episcopus Warinus, qui detractoribus credens depositum Sandrardum subrogato Meginhardo.

Postquam vero domus ejus habitationis hujus est dissoluta, ut aperiretur ei in coelis aedificata, non manufacta, aeterna, consensu totius plebis et cleri Warinus sedi inthronizatus est pontificali. Hujus ergo cum detractorum linguae pulsarent aures assidue, coegerunt cum odio vehementi praedictum Abbatem Sandrardum insectari, mussitantes a viro venerabili plus seruitii impendi Episcopo Leodiensi quam sibi, prae sulum etiam quemque propriam rectius aedicare parochiam, quam alienam, locus enim ipse tum temporis Leodiensis extitit Dioecesis. Abbas autem venerandus, utpote quem virtutum omnium mater erudiebat, seruitio utrique sine querela jure subdebatur proprio. Aemulorum siquidem non prius destitit obtrectatio, quam beatum virum innocenter depelli persuaderent Episcopo, vt ejus in loco non aequa dignum quendam sine consecratione subrogauit Meginhardum.

## Caput XIV.

Sanctus Sandrardus ad Imperatricem Adelheidem abiit, praeficitur Monasterio Weisenburgensi, tandemque Gladbachensi restituitur.

Venerabilis itaque Sandrardus non victus a malo, sed vincens malum patientiae bono invidiae cessit, et ad Imperatricem Adelheidem, cui etiam adjunctus erat confessionis familiaritate, secessit, a qua benigne susceptus Monasterio est Weisenburgensi promotus. Vbi cum vir Dei conversaretur irreprehensibiliter, subditos regens prudenter, credita dispensans fideliter: ad coenobium, quod sibi primum, quasi sponsam desponsauit carissimam suspiravit frequenter. Deo autem miserante, et Imperatricis supradictae sedulitate



mediante, non est ab animae suae desiderio fraudatus, sed honorabiliter ab Agrippinensi Metropolitano reuocatus in locum et gradum est pristinum restitutus.

## Caput XV.

Sanctus Sandrardus reuersus substantiam Monasterii minutam invenit, et paulo post mortuus est.

Verum pastore absente, mercenarioque superius notato praesidente, ovium Domini facta est luctuosa dispersio, rei familiaris, librorum, reliquiarum, praediorumque distractio, ita ut abbate reuerso, coadunataque congregatione in maxima licet penuria seruirent Domino, tamen sine murmuratione. Sic itaque vir ille Deo deuotus in mundi hujus incolatu pressuris variis et tribulationibus, velut aurum in fornace probatus, praecastigatum coelo reddidit spiritum, cum sanctis aeternaliter gauisurum.

## Caput XVI.

Sancto Sandrardo in Abbatem succedit Volradus.

Igitur secundo loco regimen saepedicti Monasterii suscepit Volradus, vir in diuinis et humanis valde idoneus, ex clero monachum professus, sed paupertinis quas offenderat rebus nimis coactatus, instabat tamen strenue diruta restaurare, ab antecessore suo copta complere, imperfecta quaeque secundum posse perficere.

## Caput XVII.

Euergerus Episcopus Coloniensis Abbatem cum fratribus Gladbaco expulit, et Coloniam ad s. Martinum transtulit, redditusque et possessiones monasterii abalienavit.

Inter haec vero Dominus Warinus diem clausit extreum et Pontificatus successorem reliquit Euergerum qui per austерitatem, quae sibi admodum familiariter adhaerebat, nimium in praedecessoris sui pedibus ivit sententiam arbitratus inconveniens a se Leodiensem aedificari Parochiam, cum vix sufficeret digne dispensare propriam. Exinde consulto cum primoribus habito mature acceleravit facto et Volradum Abbatem cum omni s. VITI congregatione misit in Monasterium S. Martini, quod est Coloniae, vt professis vel expulsis paucis, quos invenerant, canonicis ibidem instituerent normam vitae regularis. Praedia vero cum Ecclesiis multis idem Euergerus suis distribuit militibus, quae beatae memoriae Dominus Gero fratribus donauit Deo militibus. Ita ergo licet invitatis coenobii Gladbacensis Abbatem vel fratribus Coloniam transmigratis, redactus est in solitudinem locus antea desiderabilis.

## Caput XVIII.

Episcopus dum reliquias ex Monasterio auferri jussisset, horrenda visione diuni judicii a proposito deterretur.

Suggerentibus itaque, qui nosse poterant ex familiaribus, antistitis reliquias sanctorum in saepe dicto monasterio pretiosissimas haberi, nec eas expedire dare neglectui, praepositum domus Sancti Petri Wezelinum direxit, injungens ei, quaecunque possent inveniri, sine mora transportari. Unde factum est, ut praedictus praepositus die noctuque haud segniter acceleraret. Cum vero iter agens noctu cum sanctorum pignoribus festinaret reverti, contigit dominum Antistitem somno depresso graui per visionem rapi, judicioque tribunaliter terribiliter assisti. Vbi dum sancto Vito agente pro Monasterii sui destructione suppliciis esset antistes adjudicatus Gehennae. Pastor pius Ecclesiae generalis patronusque Coloniensis specialis Sanctus Petrus eo tenore sua recepit cum fidectione, quod coenobium praedictum cum omni deberet affectu reaedificare, si ipsius Patrocinio supplicia deputata mereretur euadere, in haec fidejussionis verba dimissus et ab illo horribili est somno solutus.

## Caput XIX.

Episcopus commissionen de tollendis Reliquiis reuocat

Expergefactus autem statim de lecto prosiliuit, et unum de pueris ministratoriis excitauit imperans equo consenso obuiam properare praeposito, ne cum reliquiis tenderet ulterius, sed si de suam curaret salute carnis aut spiritus, quae tulerat, eas referret quantocius; se enim non prius ajebat requieturum, quam sciret eum reuersum. Puer vero dum properaret secundum domini sui jussionem invenit praepositum ad duo fere ab vrbe milliaria contra se alacriter festinantem. Cui cum protinus legationem daret, nec posset exprimere, quid significaret, praecipiens se ibidem sequaces suos cum reliquiis operiri: statuit per se ipsum, quid hoc mandata portenderent experiri. Cunctis igitur ad sarcinas relictais solus cum puer ad aspectum properauit

Antistitis, cumque coram introisset, et quaenam subita sententiae prioris permutatio requisisset, acceptis pro re paucis accelerare cursum perurgetur itineris. Egressus itaque praepositus ita festinavit concitus, ut depositis in Gladbach reliquiis, ipsa die Coloniam ad colloquium reuerteretur Antistitis.

## Caput XX.

Abbatem cum fratribus ad monasterium remittit.

Mane denique primo habito cum familiaribus consilio Pontifex Abbatem aduocavit Volradum obnixius eum deprecans ad suum cum fratribus redire monasterium. Verum lachrymabiliter Abbas quaerebatur de monasterii destructione diuina constructi reuelatione dicens (se) admodum pertaesum totidem transmutationum: tum vero deuotum Episcopus vovit votum in pristinum statum locum velociter restaurandum, et ad suam dioecesin ab Episcopo Leodiensi mutandum, et quidquid ipsius Ecclesiae praediorum nondum fuisset dispersum vel quid ipse posset undecunque precario vel quoquo pacto colligere, sancto VITO donandum sine retractione. Sic denique demum Abbatи satisfactum est venerando, ut ad proprium monasterium cum unanimi reuerteretur fratrum collegio.

## Caput XXI.

Monasterium reparat, et parochiam dioecesi Coloniensi adquirit, redditus et possessiones ablatas, sed non omnes restituit; fratribus necessariorum penuriam supportantibus.

Interea haud secus ac vouerat reparando monasterio Pontifex instabat, quod quia festinato perficere studuit, cum nullo ornatu, sicut est hodie, perfecit; sed et parochiam non distulit mutare pro duabus Ecclesiis, id est, pro Gladbach et Reith, donans tres: Tegelen, Lubbruck et Venlo. Verum quoniam non multo post supervixit, pauca praedia colligere potuit, quae tamen ipsa sancto Vito secundum votum suum donauit, unde factum est, vt fratres inibi seruientes Domino magnam necessariorum licet sustineant penuriam, gratias tamen semper agentes Deo placitam supportent patientiam. Dei enim spei et solatii, qui replet omne animal benedictione, adimplet eos omni gaudio, et pace in credendo, ut abundant in spe, et spiritus sancti virtute.

## Caput XXII.

Libet autem in fine opusculi iterato Lectorem admonere sollicitius, ne a nobis praejudicet dicta, quae diximus. Fidelis autem ipse consideret fideliter, hanc ab omnibus aestimationem fuisse beati viri qui eum nosse poterant familiarius, quem nobis relationis hujus authorem praelibavimus, vt nec sine magna, vt credimus, offensa perhibeat, ipsum de talibus praesertim voluisse mentiri: nec a quoquam sinistrum quod impune de ejus possit persona configi. Testamur vero Deum, quem scrutatorem cordis, et renum nullum latere secretum, quia sicut ab ipso audiuius, vel a fidelibus ejus auditoribus postea commoniti, perceperimus, nudam veritatem prosecuti sumus, ad laudem ejus et gloriam, qui digne laudandus in sanctis suis, personis trinus, sed Deitate unus vixit et regnat Deus per infinita saecula saeculorum. Amen.

Quinam in fundatione monasterii Gladbacensis prima fuerint Abbates, quinam coenobitae, nobis ignotum est, nomina autem eorum scripta sunt (ut speramus) in libro vitae.



## *Abbates in fundatione posteriori.*

### S. Sandrardus.

Abbas I.




Qui in Abbatia S. Maximini prope Treuiros professus inde a S. Gerone Episcopo Coloniensi auersus, et angelici cantus indicio de reparando hoc in Monasterio certior factus, eidemque magnifice reparato et dotato praelatus, defuncto autem Gerone a successore Episcopo Warino malevolorum hominum studiis depositus, monasterioque depulsus fuit, subrogato in ejus loco Meginhardo quodam. Sandrardus vero ad Imperatricem Adelheidem, cui etiam conjunctus erat confessionis familiaritate, secessit, a qua benigne susceptus, monasterioque Wissenburgensi praepositus: ibidem conversabatur irreprehensibiliter: subditos regens prudenter, credita dispensans fideliter, sed ad coenobium, quod sibi primo quasi sponsam desponsauit charissimam, spirabat frequenter. Deo autem miserante et Imperatrice mediante honorabiliter tandem ab Agrippinensi Metropolitano reuocatus, in locum et gradum restitutus est pristinum. Verum dum Pastor legitimus abasset, mercenariusque praesideret, ovium domini facta erat luctuosa dispersio, rei familiaris, librorum, reliquiarum, praediorum distractio, ita ut Abbatie reuerso coadunataque congregacione, in maxima licet penuria seruirent Domino, tamen sine murmuratione. Sic itaque vir ille Deo deuotus, in mundi hujus incolatu pressuris variis et tribulationibus, velut aurum, probatus praecastigatum coelo reddidit spiritum cum sanctis aeternaliter gauisurum. Anno circiter DCCCLXXXVI, 24. Augusti, qua die Anniversarium S. Sandrardi festiue hic Gladbaci celebratur.

Floruit sub Pontifice Maximo Benedicto VII. Romanorum Imperatore Ottone II. Archi Episcopo Coloniensi S. Gerone et successore ejusdem Warino. Sub idem tempus floruit venerabilis Bruno sanctus et doctus, religiosus hujus monasterii.

---

### B. Volradus.

Abbas II.



Qui (ut habet historia Henrici Abbatis VI) in diuinis et humanis valde idoneus, ex clero monachum professus, sed paupertinis, quas in suscepto regimine offenderat rebus, nimis coarctatus, instabat tamen strenue diruta restaurare, ab antecessore copta complere, imperfecta quaeque secundum posse perficere. His studiis dum insistit, Euergerus Episcopus Coloniensis zelo quodam praepostero ductus, eum cum omni congregatione S. VITO monasterio expulit, et in monasterium S. Martini, quod est Coloniae, relegauit, praedia inter milites distribuit locumque in solitudinem rededit. Ob quam causam Euergerus terribili diuni judicij visione, accusante S. VITO conterritus, poenitentiisque ductus, Volradum quidem cum fratrum collegio, sed praedia ablata et distracta morte interveniente (quam divina vltione visceribus effusis sine peccatorum confessione obiit) non omnia restituit, unde factum est, ut fratres Deo seruientes, magnam licet necessariorum sustinuerint penuriam, gratias tamen agentes Deo placitam supportaverint patientiam. Volradus vero meritis bonorum operum plenus in beatam transiit aeternitatem.

Floruit circa annum Domini 989. sub Pontifice maximo Joanne XV. Imperatore Ottone III. Archiepiscopo Coloniensi Euergero.

Hujus abbatis tempore successor Joannis XV. Gregorius V. pontifex maximus coronauit Romae Ottone III. Imperatorem, et cum ejusdem consensu instituit collegium electorale, utque imposterum nemo nisi Germanus eligatur in Imperatorum.

## D. Obertus.

Abbas III.

Vixit circa annum domini millesimum.



ujus abbatis tempore anno 1006. D. Ausfridus secundum saeculi dignitatem comes Teysterbandiae Bratuspantium et Hoyensis dominus in Altena \*) diuino nutu in XVIII episcopum Ultrajectensem promotus, construxit in loco Hohorst prope Amersfordiam collegium ordinis S. Benedicti, in honorem Dei Genitricis Mariae, tulitque duodecim monachos ex hoc monasterio S. Viti Martyris: ex quibus dominum Weringerum doctum pariter et pium, primum constituit abbatem monasterii in dicto loco a se constructi, quod postea anno 1050. Bernulphus episcopus in urbem Ultrajectensem ad S. Paulum transtulit.

Claruit sub Joanne 19. pontifice maximo et successore ejus Benedicto VIII. Imperatore Henrico primo Archi episcopo colonensi S. Heriberto.

Anniversaria praedicti abbatis D. Oberti memoria recolitur quarta Julii.

Non piget hic referre, quae Aubertus Miraeus canonicus Antwerpiensis in orig. coenob. Belgicorum de episcopo Trajectensi D. Ausfrido cap. 31. habet anno domini 994. defuncto Balduino pontifice Trajectensi, Ausfridus cum pridem ex saeculari comite clericus esset attonsus, nunc ecclesiae Trajectensis decimus octavus est ordinatus episcopus. Hic de nobili genere Caroli magni progenitus, fuerat prius comes Hoyensis Teysterbandiae, Bratuspandiae et dominus de Holtena vulgo Altena. Is comes Ausfridus solitus erat residere in territorio suo Driel apud Bommel, quia erat dominus fere illius insulae. Et habuit nobilem ac deuotam vxorem, quam ali Hilsmundam, alii Hilsindem nuncupant: quae nocturnis horis sub silentio de castro descendere consueuerat, viro suo ignorantem, quo iret. Quod attendens quidam domino suo familiaris dixit ei: Ecce domina nostra comitissa omni nocte sola exit e castro sub silentio, et nescio, quo, forte ad illos, quos in corde suo nequiter amat, ut amori suo satisfaciat. Quod audiens comes observabat callide excubias, ut sciret, quo iret, ac tantas faceret moras. Et ecce quadam nocte secundum suam consuetudinem in profunda noctis caligine descendit de castro, et ipse coepit silenter ire post vestigia ejus. Et ecce vidi eam ante fores capellae sub sambuco genibus provolutam, atque ipsam diutissime ac devotissime ibidem in oratione persistentem. Et statim vidente comite aer totus firmamenti circa eam tanto lumine radiabat, ac si luna suo splendore tota splenduisseisset. Quod videns comes valde expavit, et de caetero magno honore et amore eam excoluit. Is denique cum vxore sua saeculum reliquit, et attonsus est in ecclesiasticum. Idem inspirante Deo ad instantiam Notgeri Leodiensis Episcopi dedit comitatum Hoyensem ecclesiae Leodiensi, et Otto secundus Imperator confirmavit, insuper comitatum Teysterbandiae et Bratuspantium donavit ad usum ecclesiae Trajectensis. Item dedit adhuc alias terras ecclesiae trajectensi, de quibus tales literae.

In nomine sanctae et individuae trinitatis, opere pretium duximus, sub sequuntur scriptis inserere, ne posteros laberet, quod praesens aetas faceret. Quapropter desideramus notum esse cunctis sanctae Dei ecclesiae fidelibus, tam futuris, quam modo presentibus, quod ego Ausfridus Dei solummodo gratia sanctae Trajectensis ecclesiae praesul, indignus jure, confisus in domino eam transitoriiis acquirere perennis vitae gaudia quandam mei juris haereditatem, quam antea protestatiue possederam infra comitatum Rien nuncupatum, quorum

\*) Bei Woudreghem.

locorum haec sunt nomina, Westerlo, Odlobolo, Mirebecke, Burente, pro me, meorum parentum remedio, cum omnibus ad haec pertinentibus ecclesiis, aedificiis, agris, mancipiis, pascuis, pratis, cultis et incultis, syluis, aquis, aquarumve decursibus trado ad ecclesiam s. Mariae semper virginis sanctique martini in Trajecto, ad restaurandum ibidem Dei seruitum. Si quis hujus rei traditionem infregerit, laqueum omnipotentis Dei irae, ejusque manae genetricis, sanctique Martini incidat, et quasi profanus a sanctae ecclesiae liminibus, sequestratus existat. Et ut verius credatur, firmiusque obseruetur, sigilli nostri impressione propria manu designauimus.

Anno millesimo quinto Ausfridus Episcopus trajactensis, tanquam filius castigatus et dilectus Deo, oculorum suorum lumen amisit, et venerabile collegium s. Benedicti ordinis supra montem sanctum prope Amersfordiam, in honorem s. Dei genitricis construxit, in quo sacrae religionis habitum suscepit, et ad vitae suae terminum devotissime perduravit. Obiit autem anno domini millesimo octavo. V. nonas Maii, ac sepelitur in eodem monasterio, postquam episcopatum trajectensem sapienter gubernasset annis XIV. igitur post dormitionem Ausfridi Adelboldus natione frise XIX. electus est episcopus anno millesimo vicesimo scptimo. V. kal. Decembris Adelboldus episcopus migravit ad dominum, post hunc Bernoldus vicesimus ordinatus est episcopus. Is abbatiam reverendi patris Aufridi de monte sancto trajectum transtulit, ubi conventualem ecclesiam in honore s. Pauli condidit. Anno domini millesimo quinquagesimo quarto XIII. kal. Augusti Bernoldus migravit ad dominum.

## B. Volbertus.

Abbas IV.



uit quartus quoque s. Pantaleonis et primus B. M. Virginis in Tuitio monasteriorum abbas ita, ut non immerito in vita s. Heriberti apud Surium in vitis sanctorum tomo secundo multorum pater monachorum dictus sit.

Hic omni tempore matutinos solebat paevenire hymnos, solitariisque vigiliis psalmos decentare Davidicos. Singularis extitit amator silentii, ad quod inter caetera fratres suos maxime hortabatur, cui postquam s. Heribertus archiepiscopus Coloniensis a morte apparens praedixisset, quod die obitus sui trigesimo secum in coelesti conviuio conjugendus foret; praedictioni isti congruenter 14. Aprilis anno 1021. migravit ad vitam meliorem.

Claruit sub Pontifice Maximo Benedicto VIII. imperatore Henrico, Archiepiscopo Coloniensi S. Heriberto.

## D. Arabo.

Abbas V.



etas haec multa omnium ore digna posteris consecranda, quae memoriae suaे perdurabilitatem merito exigent damoso texit silentio: iniquitas quoque temporum plura quae posteritati consecrata erant, consumpsit, unde non miretur lector, nec moleste ferat, si hunc praesulem quintum, hic loci abbatem stetisse, et 2. Julii posita mortalitatis sarcina stare desiisse dicamus, et memorabile quid praeterea nihil addamus.

Floruit circa annum domini 1024.

Viuite hoc abate Joannes XVIII. pontifex maximus cum maxima solemnitate in praesentia Roberti Regis Galliae et Canuti Regis Damae et Angliae Romae coronavit Imperatorem Conradum.

**D. Henricus.**

Abbas VI.



enricus fuit filius Sicconis illustrissimi comitis avunculus S. Wolphelmi abbatis sequentis et author Historiae de fundatione Monasterii hujus. Laudatur in vita S. Wolphelmi per Conradum, monachum Braweilerensem conscripta apud Surium Tom. 2. ad diem 22. Aprilis. Obiit bonis operibus plenus in Monasterio S. Pantaleonis, cui etiam Praelatus extitit, anno 1066. 27. Aug.

Extant adhuc Biblia hoc abbatte in membrana duobus tomis, amplissima forma conscripta, quae nostra aetas in pretio habens admiratur, quibus aurato charactere sequentes praefixi sunt versus.

Abbas Henricus divinae legis amicus.  
Hinc ut credentum fervor capiat documentum  
Hae dat ei imunus, colitur qui trinus et unus.  
Tu tamen artifices admirans talia dicens:  
Dignos laudo viros subtili pollice miros,  
Abbatem vero maneant sua, praemia coelo.

Floruit sub Alexandro II. Pontifice maximo S. Annone Archiepiscopo Coloniensi.

Tempore hujus abbatis Clemens II. Pontifex maximus coronavit Henricum II. Imperatorem ejusque conjugem Agnetem.

**S. Wolphelmus.**

Abbas VII.



olphelmus ex illustribus ripuariis Comitibus, de Neil genitus a S. Heriberto Archiepiscopo Coloniensi sacri Chrismatis unctione confirmatus, primo factus est canonicus summi templi, post monachus in Monasterio S. Maximini, inde ab avunculo suo Henrico praememorato abbatte huic monasterio praefatus, ejus vtilitatibus strenuam suae sagacitatis curam impendit, post haec voti soluendi causa Romam profectus ac reuersus, a Sancto Annone archiepiscopo Coloniensi, monasteriis primum Syburgensi ac demum Braweilerensi praelatus, ibidem diem clausit extremum anno 1091. 22. Aprilis, plurimis in vita et morte clarus miraculis, quae author vitae ipsius recenset, et ideo ad longum ex manuscriptis monasterii Braweilerensis vitam hujus sancti adjungere placuit.

Vitae S. Wolphelmi Abbatis Authore Conrado monacho Braweilerensi,  
qui eodem tempore vixit.

**Prologus in vitam B. Wolphelmi.**

Dominici gregis pastoribus, rectoribusque vigilantissimis Euerardo videlicet coenobii Braweilerensis et Hermanno in Colonia beati Pantaleonis, Conradus infimus omnium sub regulari proposito, coronam vigilantibus repositam a Domino. Hortamini Patres excellentissimi, nos vitam beati Wolphelmi abbatis scriptis depromere, secundum a Deo vobis collatam praescientiam non modicam hinc fidelibus prouidentes aedificationis gratiam.

Satagit enim ut virtutum ejus exempla ad notitiam legentium literis deducta, bene vivendi piis mentibus pariant instituta, sed quid Patres excellentissimi, id placuit injungere nobis, cum nec scientia suppetat, nec facundia sermonis existat? porro in jubendo vestra tanta est authoritas, ut licet quod exigitis, pauemus, omnino tamen negare vobis, nefas esse ducamus, liceat autem sub exemplo rei visibilis plenius vobis declarare, qua sumus hactenus suspensi dilatione, nostis, quod absque dubio acies oculorum, solis succumbat reverberata splendore; quanto magis scintilla nostrae scientiae, si altiora se praesumpserit attentare? verum ne sanctitatis illius testimonium diutius differendo videamur subtrahere, quamvis mole videamur victi succumbere, vestris tamen votis pro virium nostrarum facultate statuimus obedire, dat ausum etiam vel fiduciam istud praesumendi, quod quisque pro suo modulo in Domini legitur obtulisse tabernaculo: alius aurum et argentum, aliis purperam vel coccum bis tinctum, alias pellas rubricatas arietum, bene autem agitur nobiscum si pilos caprarum obtulerimus. Haec autem omnia, cum allegorica sint ut catholici doctores tradunt, in diuersis donariis gratiarum genera distinguentes, in pilis caprarum quibusdam locis verba exprimi voluerunt laudationem. Unde quoniam per scientiae donum, vel affluentiam meritorum, perfectionem illam attingere nequimus, auro figuratam et argento, purpura vel coco bis tincto, caeterisque donariis: cupimus saltem pilos offerre caprarum, quod est vitulos labiorum nostrorum: quatenus in tabernaculo Domini utcunq; nos contingat vtiles inveniri, ne vacui prorsus appareamus in conspectu Domini. Itaque virorum illustrium actibus vel triumphis traditis literarum monumentis, triplex inesse commodum reperitur utilitatis, dnm studio aemulandae pietatis tot plerique modis illorum informantur exemplis. Sunt quippe instrumenta bonorum operum, errantium via, poenitentium venia, perseverantium spes et corona. His tribus generibus differentiarum vim profecto patitur regnum coelorum, dum errans corrigi, poenitens justificari, perseverans contendit saluari. Laudes etiam divinae attolluntur, dum ad exemplum fidelium sanctorum merita ad memoriam revocantur. Ne vero plura replicando fastidium legenti faciam, per haec omnia ad illud tendit oratio, ut doceam, sanctorum merita rediviuia fidelium votis semper accipere incrementa: dum superna gratia illorum foecunditatem mentibus praestat, et fructificandi gratiam subministrat. Igitur sancti ac beatissimi Wolphelmi abbatis vitae seriem explicatur, nil aliud prorsus intendimus prosequi, quam quod ab idoneis testibus contigit audiri, seu quod aliquot annis ministrantibus vel adstantibus sibi, divina nobis contulit gratia intueri. De quibus, si ullius haesitationis fides tot nobiscum extant idonei testes, quod ex illius temporis collegio fratres nunc usque manent superstites. Quae omnia vestrae sanctitati examinanda vel corrigenda remitto, nec primitus ea in publicum proferre flagito, quam vestrae fuerint autoritatis roborata judicio.

#### **Incipit vita B. Wolphelmi abbatis et primo de ejus prosapia.**

Gloriosus Domini confessor Wolphelmus in Ripuarensi pago ex illustri prosapia ortus, Dei omnem justum gratuito illuminantis proveniente gratia, lineam generosae propaginis ornavit titulo sanctitatis. Qui merito juxta etymologiam vel idioma linguae regionis illius, Wolphelm dignoscitur appellatus, quoniam pro castris Domini contra immanissimum lupum, id est, diabolum, galea salutis munitus erat congressurus, quod quam efficaciter, quam strenue pro re, pro tempore, nomini contendens gestis congruere, studuerit exercere, loco suo lector plenus potuerit invenire. Pater vero ipsius Frumoldus nomine, ut ex nominis ipsius liquet expressione, probus modis omnibus floruit actione. Hic genere moribusque sibi competentem Euezam nomine sortitur uxorem: quibus iuxta apostolum, honorabile connubium, et thorus extitit immaculatus: quoniam matrimonium non contraxere causa explendae libidinis, sed gratia procreandae sobolis. Qui genere clari et inter suos quodam innocentiae priuilegio insigniti, erant Christianae religionis devotissimi cultores, fidei dote pollentes, charitate ferventes, pietatis amatores, juxta apostolum bonum operantes ad omnes. Verum domina Eueza ut illustrem exponam familiam, et alti sanguinis decus, ex cuiusdam illustrissimi comitis Sicconis nomine stirpe descenderat, quem et ampla praediorum spatia, et utriusque sexus numerosa familia, sed et militaris animi commendabat audacia, hic, quod opibus et nobilitate sit celsius, justitiam aequitatemque sectatus, qua Deo nihil invenitur acceptius, totis elaborabat nisibus, ut sicut propaginem magnificentia generis, ita et illustraret operibus pietatis. Vnde procul dubio innuitur, hunc justum, tamque paeclari meriti virum ex modestis et piis parentibus ortum: quanquam plerosque legamus justorum ex parentibus editos impiis, veluti rosae gignuntur ex spinis, genitricem vero ejus, quam exemplo Rachaelis, pro filio doloris ac dexteræ, in benedictione seminis Abrahæ hunc constat peperisse, dubium non est, cum Anna Samuelis matre, vicem a Deo commendati foenoris meruisse, pari quippe voto filium invenitur obtulisse domino. De qua etiam plane sentiendum, quod non minus placuerit in tabernaculo domini, propter commercium conjugii, quam si thoro fuisset sociata virili, hinc etenim potius laudum ejus videtur propagari titulus quod tam bene redolentis floris fructum ad totius ecclesiae edidit statum, quam quod clarissimum stemmatis ramum, ab anteritate dignoscitur traxisse priorem, magis denique omnipotens uniuscujusque approbat mentem, quam conditionem dum liber ac seruus, unam profecto in domino sumus. Ea vera solum, praeter omnem mundi gloriam, Deo probatur grata libertas, eamque nobilitatem non eximet ulla vetustas, si quid boni, si quid recti, aut nos ipsi fecerimus, aut talium successores studiosos habere meruerimus.



## Caput I.

De excellenti S. Wolphelmi ingenio et literarum studio.



rum itaque humani incrementi B. Wolphelmus ascendens lineam, auspice Deo, de infantia, ad bonis indolis transiit pueritiam. In qua aetate et liberalium artium disciplinam est professus et suorum instantia Coloniae apud aedem beati Petri apostolorum principis corpori congregationis sociatus. Quo temporis articulo post juniores Ottone, sceptrum Imperii Henrico secundo feliciter administrante, rebus quidam bellicis viro potentissimo, circa ecclesiasticas vero disciplinas solertissimo, sanctus Heribertus, toto iam orbi fama sanctitatis notissimus, sanctae Coloniensi ecclesiae praefidebat episcopus. Qui beatissimus Pontifex iam vltimae aetatis senio fessus, famulum Dei Wolphelnum tam corpore adhuc, quam et malitia parvulum, more sibi Christianae religionis oblatum, vt Euangelicum dominus parvulum in medio statutum benedixerat, et per sacri chrismatis unctionem, sanctique spiritus invocationem, in feliciorem Dei transtulerat sortem. Porro ne inanis aut vacua vel certe fortuita in illo posset aestimarint benedictio viri, sancti Spiritus attactus calore, ad contemplativam vitam, toto iam mentis desiderio, cooperat anhelare, satisque fecisset votis, si immaturitas id non impeditisset aetatis. Verum quanto naturali processu augmentum capiebat virium, tanto indies sancti fervoris illius crescebat desiderium. Fuit autem ut corpore castus, ita mente sobrius: tantam possidens gratiam vultus, ut quodammodo angelicus ejus putaretur aspectus, praeter haec divina pietatis indicia, in eruditione scripturarum, tantam promeruit efficaciam, ut quod semel legendo adverteret, perpetuo retineret, quod plerumque, ut credimus, occulto Dei agebatur judicio, ne beatissimo viro in aliquo scientiae decesset plenitudo. Igitur exceptis divinorum voluminum paginis quicquid poeta cecinit, orator facundus disseruit, philosophus excogitavit, quadam penna altioris sensus penetravit. Quanquam vero tanta juvenis scientia praeditus claruerit, nunquam tamen hinc iactantiae vitio elatus succubuit, memor dicentis Apostoli, nolite seduci per inanem sapientiam hujus mundi. Tanta autem grauitas, tanta morum illi inerat maturitas, ut palam cunctis daretur intelligi, vas illum electionis existere, nullam vero pro carnali ingenuitate sibi patiebatur reuerentiam exhiberi, vtilius censens amore Christi, se humilem exhibere, personam, quam animum habere degenerem, ineptas etiam fabulas, juvenumque lasciviam declinabat, venenatas adulantium linguas abhorrebat, vaniloquium, levitatem oculorum, totiusque motus corporis, anchora cohiebat grauitatis. Considerans itaque et perpendens Magister scholarum hunc illius in omnium virtutum disciplinis profectum, gaudebat doctrinae illi impendisse studium, quem perfectionis cernebat attigisse fastigium: arctius itaque sibi eum eligens annexendum, honorificentiusque servandum assumpsit illum consortem participemque laboris, onus cum illo partiens regendae disciplinae scholaris. Fervebat itaque in eo magnifice studium iugi exercitatione scripturarum: et quoniam scientiae illius Thesaurus non occultabatur absconditus, fiebat ubique fama vulgante celeberrimus. Hinc non minor de longinquo, quam ex proximo studiosorum illum Clericorum expetebat frequentia, praesenti auditu sapientium experiri, quanta in illo veri Salomonis vigeret sapientia. Verum sicuti nulla cum argumentatione concludere, sic nulla tam argutae propositionis valebant documenta proponere, quae concite non soluerentur convenienti historica vel allegorica expositione.

## Caput II.

B. Wolphelmus in Monasterio S. Maximini profitetur regulam S. Benedicti.

Itaque novorum iste ac veterum de bono thesauro sui cordis prolator, animadvertisens, quantae impossibilitatis sit duobus dominis seruire, ut uni Deo, cui servire, regnare est, liberiori animo posset inhaerere, saeculo penitus deliberat renuntiare. Juxta illud ergo Gregorianum, pedem, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retrahens, ruptis terrenarum voluptatum catenis, morarum impatiens, fugam init, labenter discessit, sanctumque Maximum in Treuerica vrbe expetiit, ubi sub venerabilis patris Bernardi regimine amplius et perfectius tunc temporis monasticam vitam feruere cognovit. Ibi praeoptati diu voti compos effectus, se monachum est professus, senisque cum Seraphim alis amictus, Deum excelso gloriae solio subnixum, tranquilla mentis acie contemplari laetatur. Quod ne abusive videatur prolatum, nouerit lector, Romana authoritate decretum, illius ordinis habitu significantiam exprimi sex alarum, duas alas illo, quo totius corporis velatur altitudo, duas, quo brachiorum tegitur latitudo: duas vero superiores invicem sibi junctas, capitis operimento. Quod quia priorum sancta definivit authoritas, nulla argumentatione refellere habet posteritas, cum videatur et crucis per omnia speciem gerere ejusdem habitus inspecta qualitas, quam crucem B. Wolphelmus, ut alter Paulus, vel Antonius, non tantum exterius assumens, sed et interiori homini indissolubiliter adstringens, onere, saeculi expeditus sequebatur Christi vestigia, expansis in suae exaltationis ligno manibus, ad se trahentis omnia.

### Caput III.

Colonienses Wolphelnum repetunt ad dioecesin suam.

Coloniensibus interea quibus non leuiter ferendum videbatur tantae sanctitatis viro carere ubi requisitum tandem audientes Treuiris angelici conversationi studere, invicem contulerunt, qualiter eum possent repetrere, hinc Hermannum illis diebus Coloniae currum Dei aurigantem adeunt, quid habeant, voti palam faciunt illi, et cur alio translatum insigne urbis suae non repetat, pie severa indignatione in eum conclamat. Erant tunc videre togatae vrbis primores, iterum Gregorii sui discessum conquerentes: quia non major illo discedente Romanorum confusio, quam hoc absente Coloniensium agitabatur quaestio. Nec id injuria, sicut enim ille suo nomini bonis operibus congruendo sua et proximorum saluti invigilabat, ita ut iste fidei opera exequendo cunctorum dilectione et veneratione dignissimus erat. Archiepiscopus autem juxta illud sapientis, qui a multis timetur, necesse est, ut multos timeat, subiectorum importunitatibus obtemperare festinat, sed suspicatus Trevirenses difficile reddituros virum tam laudabilis vitae, aestimavit eum repetendum facta in totius ecclesiae auditu vocatione.

### Caput IV.

Archiepiscopus Hermannus fundatorum Monasterii Braweilerensis filius revocat Wolphelnum et in Gladbacho abbatem constituit.

Eminebat tunc temporis inter praesentis regni coelorum maiores Henricus abbas Monasterii S. Pantaleonis qui memorati et saepius memorandi viri avunculus erat, isti clarissimi sui reuocationem grataanter quidem suscipiens, sed illam aequanimitter ferre nequiens, Episcopi praesentiam expetit: quid facto opus sentiret, exposuit pontifex sani consilii neglector fugiens apparere, litteras sigilli sui impressione bullatas Treviros maturat redigere, ad patrem videlicet Bernardum, sub cuius conversabatur regimine. Ille perpendens nichil interesse, vtrum ovem alienam de manu pastoris sui rapuisse, vel eo invito retinere contenderet, humilem tantae legationi praebuit assensum, quamvis non sine gravi moerore tantum gregis amitteret ornamentum. Talem adolescens monasticae vitae desideratissimus, coloniensium passus violentiam, in sui Pontificis deducitur praesentiam: a quo ut filius, debito paternae dilectionis affectu recipitur, et propter assumptum angelicae dignitatis habitum, Henrici avunculi sui providentiae commendatur. Qui videns eum assuetae solitudinis inhaerentem studio, frequentiam audiendi vel videndi causa undique concurrentium habere fastidio urbe eductum, proposuit cuidam sui regiminis abbatiae, nomine Gladebacho, cujus vtilitatibus quam strenuam suae sagacitatis curam impenderit, nemo eorum, qui praecesserunt, credulus dubitare poterit.

### Caput V.

Wolphelmus proficiscitur Roman.

Interea isdem vir Dei, cuius animus a terrenorum appetitu peregre erat, et sine corpore velox, ad supernorum civium societatem tendebat, dudum praeconceptam aggressus est peregrinationem, Romamque petiit, causa soluendi vota precum apud apostolorum confessionem; quia vero in suis positus, unicum salutis nostrae hostiam singulis diebus assueverat immolare, ab hoc etiam, inter eundum noluit dissuescere, neque enim gravis videbatur itineris dilatio, quae fiebat solo amore patriae coelestis, factum est autem, ut nonnulli peregrinationis illius comites humano more ad dulcia soli natalis arua suspirantes, eo paucis cum necessariis relictis, abirent, quasi ex hoc expeditiorem et viam et redditum habit ri essent, sed frustra renixi sunt sententiae Apostoli, qui omnem, non volentis neque currentis, sed miserentis ait esse dei. Ita enim occulta Dei voluntate profuit sancti viri dilatio, et ita illorum dilata est acceleratio, ut unius horae una omnium fuerit perventio, nondum enim illi expediti viatores apostolorum subintrarant limina, cum vir Dei subsequenti gradu pressit eorum vestigia: non tam verbis ostendens, quam rebus non esse in quoquam hominum viam ejus, qui expertam in hoc rerum eventu Dei omnipotentiam admirati transacto peregrinationis negotio, in sua sunt reuersi, ex illo tempore Dei hominem dingo reuerentiae loco habituri.

### Caput VI.

Wolphelmus in III. Braweilerensis Monasterii abbatem eligitur.

Hermannus autem praefati Piligrimi successore pontificatus infulis exuto, pari Coloniensium assensu substitutus est divae memoriae Archiepiscopus Anno: qui cum ut sacerdos magnus in diebus suis, volens Deo placere miro religionis ferveret amore, non minimum expendebat in constructione coenobiorum, unde legis Dei aemulatores aggregans in habitationi eorum. Caetera igitur piae sollicitudinis monumenta Sigebergensis coenobii constructione decoravit, virumque saepe dictum, accepta sanctitatis ejus notitia loco praen-

ponere curavit, sed studiosum divinae contemplationis hominem, activae vitae, talibus initii pernecessariae, uredens omnino expertem, eduxit eum ad locum solitudini ejus competentiorem, in proximo enim abbatia Braweilerensis erat, quae per obitum piae memoriae Tegenonis pastore iam viduata fuerat, qua propter sollicitavit virum sanctum apud hujus congregationis fratres promovere, quatenus ipsum ad curam animarum suarum in abbatiali dignitate admitterent. Quamvis enim arduum satis regiminis officium in Gladbacho possederet, attamen ut vir Dei devotionis suae propositum melius expleret, non ejus consilio in necessitatibus vti posset, in hoc propinquiore loco eundem praefatus Archiepiscopus habitare voluit, super qua re Braweilerensis conventus fratres consilium irentes post maturam deliberationem tum praedii abbati scilicet Clotten recuperandi spe ducti, tum maxima divi ac illustris viri fama allecti, gaudenter Archiepiscopo consensum praebentes, precibus unanimes eligerunt Wolphelnum sepius nominatum. Hinc pater venerabilis ad hoc se cogi per obedientiam Archipontificis perspiciens, prius curam abbatialis dignitatis, quam in Gladbacho sextus in ordine respiciebat, alteri idoneo resignavit, et pastorale officium in Braweiler laetantibus cunctis assumpsit; hic vir magnae prudentiae et consili fuit, et indies eidem loco prodesse studuit.

#### De haeresi Berengarii Turonensis.

Istis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonensis, qui asserebat Eucharistiam quam sumimus in altari, non esse revera corpus et sanguinem Christi; vnde contra eum et pro eo, multum a multis et verbis et scriptis disputatum est. Adversus quem etiam extat hujus beatissimi viri epistola, ad quendam Meginhardum abbatem Gladbacensem edita, firmiter undique veritatis assertione subnixa: qui quasi filius patrem scriptis consuluit super hujus quaestionis definitione. Quam licet attenere sit longum, vtilitati tamen prospicientes legentium, non incongruum duximus praesenti inserere opusculo, ut ad notitiam translata posteriorum, hinc ejus cognita sinceritate fidei, caveant fideles hujusmodi aliquando erroribus implicari.

#### Epistola s. Wolphelmi.

Dei gratia Wolphelmus abbas, coabbati Meginhardo salutem, lac doctrinae spiritualis, quod a me rogasti, de coelo tibi fide et humilitate accumulasti: fide, quoniam quod in me non est, credis in me posse Deum omnipotentem operari: humilitate vero, quia deficientibus meritis et sapientia, canitiem, et ordinis dignitatem non abhorres in me venerari. O quam consequens est, ut dum nocet, quod inebriat, pro remedio desideres, quod ebriat. Nocet autem quaedam ebrietas haeresis Berengarii, cuius ebrietatis periculum declinemus, et ad ubera vino meliora appropriemus, et mox, ut eam assertionem juvante Christo possimus destruere, quae clausis januis eum ad discipulos post resurrectionem non intrasse nititur adstruere. Ex matris ecclesiae manans mammis lactet nos Evangelium Joannis, cum esset, inquiens, sero die illo sabbathorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati, stetit Jesus in medio; et paulo inferius: post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis, et venit Jesus januis clausit et stetit in medio. Ecce inter Berengarium: quod non intraverit dominus januis clausis, et inter Joannem, quod intrauerit, cum sit controversia, superat ille, cui scimus inquieti, quia verum est testimonium ejus, omnis applaudit ecclesia nam si gentilitas, dum libros claudit, his, quos recipi judicat, applaudit: multo verius huic Evangelio perhibet ecclesia testimonium pro quo, priusquam scriberetur, praemisit orationes et jejunium. Novit igitur Berengarius haec sibi sufficere, quibus, cum a Deo sint, non possit homo contradicere. Itaque deinceps ad id quoque, Domino juvante veniam, quod in Eucharistiae Sacramento loquitur blasphemiam, sed, quia scriptura docet, stulto juxta stultitiam suam non esse respondendum: expressis interim ipsis blasphemiae verbis, ad fontem ejus praecurrendum, vt si Dominus dederit, nos eum obstruere, desinat inde sanies hujus blasphemiae ad nos defluere. Est autem vena hujus scaturiginis, quod non recte sentit de sacramento dominici corporis et sanguinis, et dum ad aspiciendum in eis panem et vinum, oculos corporis habet, ad perspiciendum, in eisdem carnem et sanguinem, oculos mentis non adhibet. Nos autem, vt visum acuamus, et acuendo proficiamus, quo haec intuemur ad obtinendam semel acceptam hujus veritatis traditionem nosmet hoc modo cohortemur: si, qui dixit, et facta sunt, et mandavit, et creata sunt omnia, si is inquam dixit de hoc pane, hoc est corpus meum, et de vino, hic est sanguis meus: necesse est omnino sic esse. Nam haec sola mysterio non ab aliis sunt separata, quae dicente Deo facta sunt, vel mandante creata; est autem unus atque idem Deus, primo mundum formans, deinde hoc sacramento suam imaginem reformans. Si enim alius faceret hominem, et alius redimeret, redimens plus honoris sibi assumeret: atque ita et Deus per se redempturus erat, et homo non nisi per se redimi poterat, quia videlicet nil homini jure redimendo proficeret, quidquid aliud quam hominem induendo Deus perficeret, ut ex hoc liquido constat, quod unus atque idem Deus et homo, redemptor hominis extet Igitur omnino sic esse necesse est, quod, dicente Deo vel mandante, non esse non potest. Ecce novi et veteris Testamenti nos haec autoritate probamus, quibus Berengarius tertium addit, quod non minus quam tertium de coelo cecidisse Catonem, reprobamus. Eia ergo post duo testamenta tertium hoc: et ideo tertium, quia ab eis alienatur: verbis ipsius Authoris ita loquitur: si mures consecratum corpus Christi comederint, non ideo Christus in eis, et ipsi in Christo manebunt, nec vitam aeternam habebunt. O si nunc apud inferos tortor Horatii desideat, dum hostem ecclesiae hunc verbis his derideat:

Parturiunt montes, nascentur ridiculus mus.

Putavimus hunc inter montes exultatum, magnum quid parturire, dum ecce mures in adjutorium ejus conspicimus eum de cavernis accire, jam autem medium hanc ironiam abrumptentes, contra Berengarium, et



pro nobis nosmet cohortemur, ita dicentes: si corpus hoc, unde agitur, ab Apostolis, et ab omnibus electis comestum, qui soli hic illud comedunt, vt Christus in eis maneat, et ipsi in Christo: et non Judas, et omnes reprobi, ad quos post buccellam panis satanas intrat, et sit longe alia conglutinatio intrantis satanae et reproborum, quam ea quae est Christi et electorum (nunquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit) si, inquam hoc corpus ita ab electis comestum, et eis conglutinatum, illis quoque conglutinatis eidem, se sanum et incolume, vivum et integrum recipit ad patrem, multo magis a Juda et reprobis omnibus, plus etiam a muribus, et ab aliis mundi spureitiis recolligitur in regnum suum sine sui diminutione vel contaminatione. Nam et sol hic invisibilis creatus, et non omnipotens, radios suos in cloacas et alias mundi sordes emissos, rursus retrahit ad se sine aliqua pollutione, hoc autem corpus post expletam more catholicis communionem sanum et incolume, vivum et integrum se recipit ad patrem, sic enim testatur ecclesia Achaiae B. Andream Apostolum dicere: postquam omnis populus credentium agni carnes comederit, et sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus: et cum vere sacrificatus sit, et vere carnes ejus comestae sint a populo, et vere sanguis ejus sit bibitus, tamen, ut dixi: et integer permanet, et immaculatus et vivus. Igitur corpus hoc ab his, quibus ille participibus particeps est, se vivum et integrum et incolume recipiens, multo magis ab his colligit in regnum suum. Hoc interim charitati tuae puto sufficere, dum videamus si sit opus his aliquid adjicere, veruntamen et quod dixi, et si quid dicturus sum tuis orationibus, et omnium pie de me sentientium commendo, quoniam etsi mortui sunt obtrectatores Hieronymi, authorem obtrectationis hujusmodi vivere perpendo etc.

Taliter hic miles emeritus armis justitiae, fide scilicet spe et charitate munitus perfidiam Berengarii, in acie Domini constitutus, suo loco expugnavit invictissimus. Quod quanta fecerit devotione, testantur, quas fundebat orationes et lachrymas, quatenus seducti resipiscerent, catholica fides intemerata consisteret, et a recto tramite nulla prauitate infecta deviaret, tantam vir venerabilis sollicitudinem circa fratrum gerebat salutem, et vniuersalis ecclesiae fidem.

## Caput VII.

Beatus vir multis laboribus insudat pro praedio, quod Clotteno dicitur recuperando.

His itaque praeambulis, vertatur stylus ad describendum, quales pro bono ecclesiae suae, Clotteno videlicet nomine, pertulit labores, imo si dici fas est, perseciones, quod qualiter ecclesiae collatum fuerit et ablatum, paucis videtur intimandum: quoniam non pleniter advertitur ratio, cuius ignoratur origo. Domina Richeza, cuius genitores Braweilerense a fundamentis exstruxerunt cenobium, fidei ac devotionis illorum aemulatrix existens, terrenarum possessionum suarum ecclesias Dei fecit haeredes, vt regni coelestis ipsa compos effici mereretur et haeres. Tradidit itaque B. Petro in Colonia Comburg et Salevelt, cum vniuersis appendentiis suis; sancto vero Nicolao in Braweiler villam, quae dicitur Clotteno cum omnibus redditibus suis. Quam traditionem sub multarum probabilium personarum testimonio factam, praesens Dominus Episcopus Anno sua authoritate corroboravit, authorizavit, et vt per saecula inconvulsa consisteret, violatores, raptore perpetuo anathemate damnavit.

Soluente vero Domina Richeza Regina mortis debitum dum deferretur tumulanda in braweilerensi coenobio, ut ipsa vivens constituerat (nam et locum sibi sepulturae ibidem designauerat) jussu praedicti Archiepiscopi Annonis corpus ejus vi retinetur, et in ecclesia, quam ipse in honorem beatae Dei genitricis semper Virginis Mariae a fundamento erexerat, sepelitur. Quo facto, memoratum allodium Cloteno eidem contulit ecclesiae, contradicentibus hujus Monasterii amicis, quibus ardore justitiae haec erat ad videndum violentia grauis. Nam contra fas, jusque divinum, excepto quinque librorum censu, hic sacer Braweilerensis locus, non solum fundatricis suae corpore, sed et Cloteno privatus est, super qua re, imo temerato omni aequitatis jure fratres hujus coenobii non minime turbati atque consternati fuerunt. Tandem ipse venerabilis abbas Wolphelmus invocato divino auxilio, et habito fratrum suorum consilio, formatam ex industria in persona s. Nicolai episcopi epistolam ad Annonem Archiepiscopum pro correptione in praesentia reliquorum etiam episcoporum misit tenore sequenti.

Nicolaus Dei gratia Mirrensium Archiepiscopus Annoni Fratri et Episcopo salutem.

Miror fraternitatem tuam propter quosdam impios, invidas adulatores, in me, nescio, obquam culpam mei sic graviter exarsisse, vt me odire, lacerare, et res meas a bonis hominibus mihi traditas non desinas contra humanas divinasque leges injuste deripere, quod quam sit absurdum et inconveniens, ad te ipsum tandem reuersus perpende; quod enim tibi non vis, quare hoc in me agis? Pilgrimus Archiepiscopus in prima dedicatione mei Monasterii, ne mea raperentur vetuit. Itidem et Papa tunc temporis Joannes ejus decretum firmans statuit, Hermannus quoque Archiepiscopus hoc idem; Leo quoque Papa, cuius sanctitas neminem latet, eadem in Colonia praesente Imperatore Henrico confirmavit, postea a Roma directis litteris apostolico sigillo insignitis (sicut in promptu habetur ne njustitia ulla mihi fieret, sub anathemate decrevit. Tu etiam in dedicatione ipsius ecclesiae banno s. Petri et tuo firmasti. Vide ergo ne forte Dei judicio, sicut tu sanctorum Pontificum, et tua parvi pendes decreta: ita successores tui, tuo provocati exemplo, etiam tua convallant, et res a te datas ecclesiis, quas aedificas diripient, et eas, quibus, vel in quos voluerint vsus, expendant; eadem quippe mensura (vt ait Dominus) qua mensi fueritis, remetietur et vobis.

Timens ergo Dei Judicia, quae sunt abiussus multa, noli eum irritare afferendo sanctis sua, ne forte omnium advocatus, nostris clamoribus, iratus de medio te auferens, aeternis te tradat cruciatibus, nam multum rogamus, compellimus, et horribiliter a multis adjuvamus, atque multoties blasphematur, quod a Domino vita prolongatur. Quanto igitur excellentiorem locum tenes inter homines, tanto aspectui omnium pates, et ideo non solum non reprehensibile, sed etiam, quod vis, vel quod agis, debet esse laudabile; sciat autem fraternitas tua, quod fratres, qui sunt in meo Monasterio, non sicut tibi dictum est, opibus super abundant, sed multa eos saepissime constringit egestas. Praedium autem Brawilre, quod Mathildis Deo dilecta a marito sumpsit in dote, illud eos enutrit pane, cerevisia sagina et legumine, nam caetera praedia, quae supersunt, nec uno quidem mense possunt panem sufficere; vini autem tanta copia est eis, vt si nimia abundantia orbem terrarum repleverit, pro miraculo erit, si ultra XXX. carratas meruerint, hae sunt opes nimiae, quibus fratres mei dicuntur superabundare. His ita praelibatis rogo tuam dilectionem per illam, quae inter Deum et homines est, charitatem, vt a te vterius meae res non fiant in direptionem, sed, quae haereditario jure mihi reicta sunt, restitue, ne ad supremum Judicem clamor meus veniat pro te.

### Caput VIII.

Capellanus Richeze Reginae ob infidelitatem suam horribiliter punitur.

Hoc quidem justo ac digno increpationis elogio, ipso eodem in tempore, quo vana calliditatis stropha sibi blandiebatur, de rapina enim holocaustum data redargutus est, et sibimet ipsi in contrarium esse notatus est, sed mirum dictu, quod vestram tam prudentem nec justa ab obstinatione sua revocare sententia potuit, nec illa vltio divina, qua Capellanus ejusdem Richeze Reginae Otto nomine justas suae luit poenas perfidiae, detergere voluit, siquidem idem ille Otto ab eadem venerabili Regina in mandatum acceperat, vt venerandas sanctorum reliquias, quas in scrinio decenter ornato condierat post mortem suam Brawilre deferret, sed ille caecus avaritia, earum pretio pactus praeposituram cum Archiepiscopo, mox, ut in Saxoniam ad sua revertitur, quadam in sylua ictu fulminis percussus, ab equo cui insederat, praeceps agitur. Tanta autem inundatio pluviae tonitruum est subsecuta, vt ex ejus infusione valida, attriti corporis cinere cum arena involuto, sola ejus tantum dextera manus sit integra reperta, nihilominus vero, successor abbatis Tegenonis Dominus Wolphelmus cernens, quam plurimos hujus iniquitatis exemplo, contempto ecclesiastici vsus vigore, non enim ante juxta apostolorum, sed ratio ad errorem viam veritatis et justitiae reflectere eum de perpetrata iniquitate, et per se et per alios etiam sui ordinis viros episcopos videlicet ad emendationem revocare satagebat, sed parum proficiens, eo defuncto regiam praesentiam plurimo labore sui, suorumque super hoc negotio sollicitabat. Denique tam diu pio labori institit, donec Rege Henrico imperante, praecipue tamen pro palatino comite Hermanno sibi per omnia fideliter adminiculante, permittente vero supradicti Archi Pontificis successore Hyldolpho Clotteno recepit, et exacto ab incolis fidei juramento in vsum propriae possessionis redegit, cuius cum fidei virtute, qualis habita esset animi constantia, in quadam ejus manifeste continetur epistola, quae hic subiicitur.

Domino Henrico Augustorum sanguini Dei gratia Romanorum Regi Wolphelmus cum omni  
Brawelerensem congregacione fidem cum intentissima precum devotione.

Misericordiae vestrae genibus provoluti, quod conquesti sumus, iterum conquerimur, quia pro justificatione, quam nobis fieri praecepistis, frustra conclamatis taediis atterimur. Est autem querimonia nostra super quodam praedio, quod Clotteno dictum B. Nicolao, quando puer fuistis, imo quia fuistis, est oblatum, quod quia tunc vestra non prohibuit infirmitas puerilis, speret Dominus, ut modo corrigat authoritas viirlis, nullumque patiatur ecclesiasticam censuram infirmare, quamvis etiam dicatur miraculis coruscare. Nam cum sint duas nativitates miraculis coruscantium, vetus Adam et novus, boni malique item gerant inter se compugnantium, ac ex bono quidem eorum statuit, nos Dominus Deus informari, malum vero vel in sancto Petro, quod Christum negavit, non debemus imitari, cur enim egressus foras flevit amare, si non malum fuerit dominum suum negare? Ex his ergo bona sanctorum, non mala nos imitari debere intelligitur, et mox ex eisdem miracula, quae faciunt, ob ea, tantum, quae imitatione digna sunt, fieri colligitur, quod si miracula eorum nulla mala struunt, nec ecclesiasticam censuram, quae caeteris malis aliquanto gravius est, destruunt. Ergo ne miracula, quae fieri dicuntur ad sepulchrum Domini nostri Archiepiscopi Annonis, nostram querelam apud vestram clementiam videantur impedire, qualiter Imperator Augustus pater vester Henricus pro nobis agat, dignetur vestra serenitas audire, nam in charta, quam nobis fieri jussit de domino nostro Archiepiscopo Hermanno, et suis sororibus ita loquens nostram inquit audire clementiam rogantes, ut eam loco Braweilre nominato, libertate statueremus gratiam; quatenus ab omnium praesentium ac futurorum tam Pontificum, quam Regum seu Imperatorum liber dominatu laetius tam pro nostra, quam pro ipsorum salute vacaret; et post pauca, hanc eorum petitionem iustum et piam cognoscentes, voluntati eorum praebuimus assensum, loco illi Braweilre nominato, libertatem statuentes, atque ut rata et inconvulsa maneat in perpetuum, chartam hanc ei libertatem conscribi, manuque propria corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri, quem, si quis infringere tentaverit, quam primum iram Dei, sanctique Petri, simulque omnium sanctorum incurrat, sciatque se expositurum auri purissimi libras centum, nostrae camerae medietatem, Archiepiscopo alteram

mediatatem. Ecce, si Dominus noster Archiepiscopus Coloniensis sine peccato Caesaris edictum offendere potest utriusque cameram ponderibus onerat immensis siquidem justificetur, unde a nobis causa movetur. At vero cavete vobis et vestris, hanc tanti patris declinando maledictionem, cui Dominus Papa Leo, cum aliquot suis antecessoribus suam quoque jungit anathematizationem, sed nec suam subtrahit dominus noster Archiepiscopus Anno cum suis antecessoribus Piligrino et Hermanno, in tantum vt Clotteno expresse et definitive nominaret, eo quod nobis timens carnales haeredes hoc ablatum ne formidaret. Supersunt adhuc qui, quando novissime nostram ecclesiam dedicavit, praesentes fuerunt, et hanc definitam ejusdem nominis expressionem audierunt. Constat igitur ipsius bannum, vt de caeteris taceamus a semet ipso esse violatum, si praedium illud, unde agitur, illis, qui nunc retinent, ab eo, sicut ipsi fatentur, postea fuerat datum, unde ut ab ejus hostia maculam tollatis, largius a Domino vobis affluant viscera pietatis, quibus ita pensetur miraculorum ejus commendatio, ut ecclesiasticae censurae non fiat confirmatio, nostrae quoque pusillanimitati consolatur, ne abundatiori tristitia absorbeatur.

## Caput IX.

Archiepiscopus Anno in infirmitate constitutus promittit abbati Wolphelmo Clottenum restituere.

Post aliquot tempus Archiepiscopus Anno incidit gravem infirmitatem, cujus incommodo, dum vehementer anxiaretur, et mortis articulus imminere coepisset, venerabilis abbas Wolphelmus visendi eum gratia adiens, inter caetera consolationis verba hujus rei mentionem ingerens monuit eum pia sollicitudine, hoc piaculum expiare, hanc injustitiam eliminare, addens nisi emendatione mutasset commissum, pernitiosum ejus animae imminere periculum. Cujus ille, vt erat vir mentis ingenuae, benigne suscepta admonitione, sciens eum virum justum et sanctum humiliter se ejus commendat orationi, spondens in proximo aut idem bonum redditurum, aut aliud reciproca vicissitudine pro eodem restituturum. His exhilaratus promissionibus, gaudens remeat ad propria Domini servus. Sed pro dolor secus, quam promiserat, accidit. Nam immatura morte praeventus obiit, et cum vita in medio, quod promiserat, imperfectum dereliquit.

## Caput X.

Wolphelmus propter Clottenum cum Archiepiscopo Hildolpho Annonis saepius nominati successore multum occupatur.

Igitur, quae a majoribus nostris coaevis, videlicet vel discipulis beatissimi viri comperimus, fideliter stylo percurrente digessimus, nunc, quae nostris sunt acta temporibus vel ipsi vidimus, in gestorum illius ordinem referamus. Post excessum itaque venerabilis Annonis, dominus Hildolphus non absque Coloniensium injuria Praesulatus obtinuit insignia, qui super hac eadem re, scilicet allodio Clottenensi saepius est conventus a venerabili patre nostro, abbatte Wolphelmo, insuper praemonitus est, atque rogatus a predicti hujus loci congregatione, sed responsum dedit sub pie sonantibus verbis fraudullentum, nam dixit se nulla ratione id sanctae Dei Genitrici Virgini Mariae velle, seu audere adimere, quod tanti meriti vir Anno Coloniensium Archiepiscopus sua contulerat devotione, nolens animadvertere hoc predictum allodium, contra omnem aequitatem subtractum fuisse. Unde nunc vir Domini venerabilis abbas Wolphelmus, se apud Archiepiscopum Coloniensis ecclesiae Hidolphum minime cernens proficere, habito fratum suorum consilio, atque consensu per fideles atque prudentes legatos regiam magnificentiam, studuit adire, omnem gestae rei ordinem proclamare, et non solum commisit legatis suis, quatenus oretenus negotium hoc explanarent coram caesarea Majestate, sed etiam per semetipsum studuit litteris ipsi Imperatori Henrico quarto confidentius insinuare. Est hic etiam sciendum, quod prius comes palatinus Hermannus saepe dictae Richezae Reginae Polonorum patruelis, nec non alii fautores, ac boni amici hujus monasterii per omnia satagebant abbatii et conventui succurrere. Epistolam ad Imperatorem tunc temporis scriptam vide superius folio.

Caeterum quartus Henricus Rex, postmodum Romanorum Augustus, qui illo in tempore regni monarchiam strenue gubernabat, hujus rei comperta proclamatione se spondet omnimodis affuturum juvamine, factum quidem graviter ferre, nunquam tamen, quoad viueret, permissurum stabile, animadvertisens etiam famam bonitatis domini Archiepiscopi Annonis, hac praevaricatione legum vel justitiae non mediocriter posse obscurari, memor prioris amicitiae viri, ab illo quippe educatus vel nutritus fuerat, mandat domino Hildolpho ejus successori, Clotteno celebrius restitui coenobio Braweilerensi; at illo nil certi ad haec respondente, sed potius de die in diem differendo, tempus redimente, non ex voto consulti sed spe frustrati, rediere legati. Tunc vir Domini omni humano destitutus consilio, quid ageret, quo se verteret, dubius fluctuabat: sed ab eo, sibi opem et consilium flagitat, qui solus novit in periculis et necessitatibus subvenire. Tunc ejus incidit animo nil praestantius fore, quam Pontificem sedis apostolicae super hac re interpellare, qua inspiratione animaequior factus, destinat velociter legatos ad apostolicum, tunc forte consistentem in confinibus alpium. Qui ubi coram senatus primoribus et Romanae ecclesiae judicibus ad liquidum verbis Papae exposuere singula, quae ab Archiepiscopo Annone de Clotteno saepius memorato gesta fuere, omnium mentes et corda stupor apprehendit cum admiratione non modica.



Tunc Dominus Papa Hildebrandus, qui et Gregorius ex autoritate beati Petri apostoli per epistolas suas denuntiat Domino Hildolpho ejus successori, ne sub specie pietatis, defensor existens impietatis, Clotteno Braweilerensi ecclesiae violenter ablatum, diutius patiatur irrevocatum. Non eget inquiens, o fili, Deus offerri quicquam ex injustitia sibi, quia, ut legimus, sic fiunt ei victimae ex rapina, quomodo si quis mactet filium in patris praesentia. Patratorem quidem bonorum multorum agnouimus fratrem nostrum Annonem Archiepiscopum, tamen in hac parte minime defendendus est non errasse, tum quod B. Nicolao praeripuit, sanctae genitrici Dei gratum holocaustum aestimavit, dicente domino per Prophetam: quia ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum. Nec fas est a fidelibus credi matrem diserepare a voluntate filii: dum id prorsus constet, vtrisque proprium, atque commune, eadem velle, et eadem nolle. At tu ne defendendo injustitiam videaris offendere Deum, tolle de medio, quod, alias licet bonus, hic male consultus commisit episcopus Anno, ne et illius detrimentum sit corona, et tibi occasio culpe.

Hujusmodi paternis admitionibus a sedis apostolicae autoritate susceptis, praedicti pontificis Hildolphi magis in furorem versus est animus, quam ad justitiam vel misericordiam provocatus. Denique convocat ecclesiae Coloniensis primores, se diffamat, accusatum per virum Dei conquerens apud apostolicum. Tunc vir mitissimus, his humiliter renitens objectionibus: proferatur, inquit, o Domine in medium, si placet, accusationis testimonium: si nequeo me excusare, de quibus criminor a te, tunc demum digne convincar offensam meruisse. Episcopus itaque domini Apostolici epistolam tenens pree manibus, legendam tradit in publico, aestimans per ejus relationem cunctos in serui Dei armari contradictione. Qua recitata plures assensere nil dignum actum offensione. Quidam vero Bezelinus, domus B. Petri Apostoli custos, cum aliis, quibus erat animus rem potius perturbare, quam ex aequo determinare: cum aliud non invenirent, quod obtenderent, non absque suo consulto Papam super hac re asserunt licuisse expetere.

## Caput XI.

De contumeliis et comminationibus quas sustinuit propter Clotteno.

Dum facili responsione hanc Domini famulus objectionem quivisset refellere, episcopi magis furentis odio, quam justo iudicio injuriatur, calumniatur: convitiis quoque et contumeliis secus, quam pati dignum fuerat tantae reuerentiae virum attractato, postremo etiam terribilibus sacramentis pastoralis curae baculum adempturum minatur. Tunc vir beatus in injuriis patientissimus, virtute constantiae roboratus, timore nudus, adversariorum conatibus respondet intrepidus. Nesciebat quippe mens justi pauere, quae nulla torquebatur conscientiae culpe, diuina nos comitante clementia, non hic hodie praejudicium veremur incurrire, puram gerentes conscientiam, totius prorsus criminationis innoxiam. Hic sermo videtur completus, ubi dicitur, ut leo, confidere justus. Dum haec et his similia vir Deo plenus efficacissime loqueretur, oris gratiam mentisque constantiam omnes aemuli mirabantur, et veluti nox quaedam, et tenebrae mentibus eorum sunt infusae: quid agerent, quo se verterent, dubii nutabunt, dolentes se casso consumptos dolore, non invenientes, qua parte eum caperent in opere et sermone. In his perturbationum angustiarumque pressuris, ex primoribus praecipue favebant beato viro, Bertolpus, vir probus, ecclesiae beati Andreae Apostoli praepositus, et quidam Wigmannus de Herersbach vir militaris et nobilis, sed et eloquentia insignis. Hi duo medium habentes eum, vt olim coelitus directi Machabaeum, pro defensione justitiae, non sunt reveriti injustitiam oppugnare, adeo, ut nec minis, nec terroribus concuti, nec a proposito aliquo possent munere frangi. Instabant igitur viriliter ex apostolica authoritate, precantes iudicium Braweilerensi ecclesiae fieri juxta mandatum et legationem apostolici. Quorum vocibus et instantia non mediocriter exacerbatus Episcopus, cum graui indignatione inquit: habetote vobis Clotteno, meum erit, tam et injuriam meam vindicare, quam et vtiliora pro Clotteno data recipere. Itaque raptum ex ore ejus verbum, et cum velocitate diriguntur legati, idem bonum vindicaturi. His ita patratis jubet Episcopus virum Domini apud Nussiam castrum sibi occurtere, ea omnimodis intentione, vt nullo ejus obstante adjutore vel defensore, facilius eum valeret pro voto deponere. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Quamdiu vero ista incubuit adversitas, tamdiu fratribus non destitit votiva charitas, septem psalmorum et litaniae supplicatione dominum incessanter exorare, ut de moero gaudium, de tribulatione laetitiam concederet invenire. Vir itaque Domini sciens tutam defensionem constare non posse per hominem psalmista dicente: bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus, de adjutorio domini confisus, hilaris, et gaudens iter aggreditur, quo fuerat imperatus. Perveniens igitur ad locum, non modica inopum collecta multitudine, per opera pietatis et misericordiae se Deo cupit attentius commendare. Cumque in solario cujusdam domus resedissent, et vir Domini cum suis necessaria ministrans, sollicitus circuiret, ex improviso solarium corruit, totaque illa multitudo cum viro Dei in cellarium subterraneum cadendo devenit, quos e vestigio pars non minima domus subsequens oppressit: sed ex Dei providentia, serui sui meritis, nulli laesionem intulit. Itaque exciti cives, tanti sonitus fragore ociosus advolant undique, et non sine grandi admiratione sospites extrahunt, quos iamque periisse crediderant. Quidam vero praecaeteris lapsus oppressusque periculosius dum iam aesi mortuus defleretur ab omnibus, eductus nulla reperitur parte corporis laesus; sed et pincerna hominis Dei, Godecho nomine, ipsa hora, bina vasa testea vino repleta pree manibus tenens, cum ruentibus pariter ruit: sed mirum dictu, nec sui, nec vasorum, vel vini pertulit effusionem. Quod factum mirabile id circa divinae clementiae placuit demonstrare, ut panderetur mortalibus, quanti apud se meriti vir sanctus iste fuerit. At vero Episcopus, qui eo illum advenire compulerat,

diuinitus, ut creditur refraenatus, in nullo tum ei voluit esse contrarius. Egit quippe hoc miro modo circa famulum suum divina provisio, nec mortalis hominis premeretur judicio, quem tanto magnificare dispositum prodigio. Hinc non sopitum, sed acrius accensum est praedicti episcopi furoris incendium. Nam quamvis eum tunc sinerit abire, rursus tamen Coloniam statuto die ad se jubet redire. Interea fratribus ut supra meminimus pro eo sollicitis in vigiliis et orationibus adest vir Domini improbus. Quis, quaeso, fluctus eloquentiae, quae lingua potest evolvere gaudium tunc factum in commune? gloriabatur quippe non immerito humanitas gregis ex praesentia sui pastoris, quem Dominus glorificaverat admirandae protectione virtutis.

### Caput XII.

Visio, quam habuit Hartmannus abbas Tuitiensis super morte Hildolphi episcopi Coloniensis.

Ea tempestate quidam Hartmannus abbas Tuitiensis dum nocte quadam somno indulsisset tale vidit somnium, praesagium utique futurorum. Vedit igitur per visum virum quandam formam egregium, vultu reuerendum, episcopalibus infulis decenter ornatum a Braweilerensi ecclesia procedentem et iter Coloniam usque dirigentem. Quem praecedentem beatum Wolphelnum abbatem cum fratum caterua cernit e vestigio subsequentem, septem psalmos cum litaniis saepius modulatis vocibus iterantes. At ubi ad fores perventum est cubiculi episcopi quiescentis fores obseratae, virga praecedentis impulsae, dictu velocius sunt apertae. Quibus taliter intromissis, dux praevius stratum adiens recubantis cum gravi requirit animadversione, cur tanta contra se temerius praesumpsisset exercere. Expleto sermone virga, quam manu gestabat, ad ultionem injuriae graviter illum percussit in vertice. Itaque somno excitus abbas p[re]a pavore virum domini certum reddit ex divina protectione et beati Nicolai consolatione. Nec falsum extitit prorsus somnium vel inane, dum quod fratres in psalmis et litaniis constitit egisse, hoc illi Dominus per visum dignatus sit reuelare. Adhibet etiam certam fidem visioni exhibitio operis, nam uno eodemque momento, ut hic illum vedit percuti se sensit episcopus morbo gravari, tali ergo modo divinitus recisa et nisu suo frustrata illius adversatrix intentio est, morbo quippe reualesce[n]te post dies paucos obiit, et cathedram praesulatus Seguinus vir pius obtinuit. Audita itaque morte praefati antistitis vir domini venerandus abbas Wolphelmus confidenter Mosellam ascendit, et exponens longius injuriam sibi illatam propter priuilegia superius descripta, ostendit iam noua, videlicet litteras Gregorii papae et Imperatoris Henrici quarti imo assistentibus sibi testibus allegauit assensum dominorum episcoporum qui in fine vitae suaे huic monasterio injuste ablata restitui jussérant; quibus auditis incolae Clottenenses fidei juramentum ei reddiderunt, sicque in propriae possessionis usum praedictum praedium cum suis attinentiis nihil contradicente domino gratiosissimo Archiepiscopo Coloniensi Segewino reaccepit. De his ita meminisse sufficiat, nunc se ad gestorum ejus sequentia describenda articulus vertat.

### Caput XIII.

Wolphelmus Monasterium Braweilerense diuersis picturis exornari facit.

Hic itaque Domini famulus, quae retro sunt, oblitus in anteriora se extendens totis viribus exemplo David prophetae dicentis, Domine dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae, domum Dei aggressus est exornare decoris varietate, quod quia devotissima mente concepit, mirifico effectu consumare meruit. Denique ut breuiter cuncta perstringam, ejus instantia vel tempore in varios ornatus picturae vel fabricae, seu etiam musiui operis decore, intus et extra se status extulit braweilerensis ecclesiae. Textum praeterea operis cuiusque versibus expressit egregriis, ut liquido pateret inquirenti totius plenitudo materie.

### Caput XIV.

Jussu Wolphelmi in quatuor partibus ambitus quatuor Evangeliorum libri certis temporibus anni a diaconibus lecti sunt,

Opere pretium est, illud etiam non reticere, quod singulis annis vir Domini, novi et veteris testamenti paginas ex integro faciebat legendo revolu: quatuor vero Euangeliorum libros, quoniam non eo loco, vel ordine, quo reliquos competebat expleri, statuit quatuor temporibus recurrentibus anni, in quatuor plagiis claustris singulos a singulis diaconibus recitari. Quod cujus fecerit vtilitatis intuitu, vel devotionis affectu, ex subjectis ejus, super utrumque testamentum compositis, liquet versibus. In quibus singulis annis utrisque explendis non parvi pendendam annexit causam vtilitatis, plurima etiam necessaria tangens, nunc personas subito, decenter commutans, nunc electorum per verbera salutem denuntians, nunc scripturarum suavem gustum commendans, postremo geminam in Christo naturam generis humani medicinam demonstrans. Haec idecirco praelibauimus, vt cum ad talia perventum fuerit loca, intrepidus lector percurrere possit, quod se jam didicisse meminerit.



## Versus sunt hi.

Late diffusus sic ecclesiasticus vsus  
 Se Testamentis exereet in omnipotens,  
 Ut legat haec ambo, sed et omni compleat anno  
 Sicut in hebdomada psalmorum clauditur oda.  
 Ast hinc psallendi, cum stet status, inde legendi,  
 Lectio, quo prosit, nunquam praefatio desit,  
 Qua clavi limen patet ad quodcumque volumen:  
 Pandat ut admisso, quod elamet abiussus abiesso.  
 Admitti vero dedit ejus gratia clero,  
 Qui populis ipso parat hinc documenta ministro.  
 Sed cunctis aequae non detegit intima quaeque.  
 Quis tamen interea non abnuit interiora.  
 Angelus hinc ensem suspendit percutientem.  
 Altius inflexus non laedit fulminis ictus,  
 Non ignis torrens, non vultus Daemonis horrens,  
 Captiuus dirae discedunt sensibus irae.  
 Vasta lues morbi, quae saepe supervenit orbi,  
 Aut non accedit, citiusque precando recedit.  
 Exceptos natos, quod vult pater esse paratos,  
 Verberibus tangi, poenisque fugacibus angri,  
 Quis obsterendi nocuo sunt foedere mundi.

Sed non donorum Deus usum subtrahit horum,  
 Quis patrem sesse per verbera comprobet esse.  
 Si sit ejus ritus legaliter hic stabilitus,  
 Vt sic psallatur seu diximus atque legatur  
 Utilitas extra patet haec, latet altior intra.  
 Huc introductus gustabit munera fructus.  
 Cui donat mentem Dominus gustare scientem  
 Fructus majoris, quam pandat lingua, saporis.  
 Sed nec erit, gustum qui scriptis exprimat istum,  
 Gustans ipse magis scit, quam sit gratia suavis,  
 Quam scripturarum conservat cella sacrarum,  
 Et quae diffundi se vult per climata mundi:  
 Quo genus humanum sit in hoc medicamine sanum,  
 Quod naturarum peragit compago duarum:  
 Dum Deus inde pater parit, hinc parit innuba mater:  
 Nil coelis illinc, nil terris charius est hinc.  
 Qua specie bina componitur haec medicina.  
 Christus patre satus, Deus: ast homo virgine natus,  
 Qui cum patre Deus, sed et almo Pneumate, verus,  
 Ad nos indultis pandat pia viscera culpis,  
 Saecula per examen dum juste discutit. Amen.

Hos versiculos beati viri ideo huic operi inserendos utile duxi, vt quomodo simpliciores plane currentis prosae delectantur pastu, ita perfectiores enucleatius spiritualiter dicta indagantes, eorum spirituali gustu pariter reficiantur et fructu.

## Caput XV.

De exhortationibus, quos ad fratres facere erat solitus.

Saepius autem in conventu fratrum de salute disputans, et suadens animarum, inter multimodas virtutum propositiones, hoc modo plerumque eleemosynarum vel hospitalitatis commendabat gratiam: oportet inquit, ut scriptum est, et testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt: et hospitalitatem non oblivisci, dum et quosdam placuisse legamus, angelis autem hospitio receptis. Vnde magnopere vos, fratres, pauperum, vel hospitum susceptioni curam impendere admoneo, quia profecto quicquid illis fideli deuotione confertur Christo nimirum, qui se in paupere suscipi, in hospite colligi vult, impenditur. Ideoque maxime necessariam hospitalitatis et eleemosynarum intuli gratiam, quia nec locum propagari perpendo vel inhabitantes, nisi per eleemosynas et assiduas preces. Verum, charissimi, dum alicujus in vobis boni scintillam videritis ignescere, ne vestris quaeso meritis velitis adscribere, quoniam ut scriptum est, neque volentis neque currentis, sed Dei est miserentis. Omnipotens quippe Deus adspirando nos praevenit, ut bona velimus: et adjuvando prosequitur, ut possimus: inanis enim aliter esset conatus noster, nisi divina cooperaretur et virtus, et taliter autem gratia praecurrente, et bona voluntate subsequente, quod conditoris est doni, nostri fit meriti. His et ejusmodi exhortationibus corda fratrum irrigans frequentius ad sectandam prouocabat pietatem. Lucrandis autem sedulus invigilans animabus, satagebat nil promere verbis, quod non roboret exemplis, ne vitae munditia prorsus discreparet a lingua. Hoc ordine nimirum hypocritarum declinabat consortium, qui verba quidem sanctorum habent, sed vitam non habent: et quos sermonibus generant, non fovent exemplis: et quos verbis aedificant, moribus et vita destruunt. Namque vir beatus non solum lingua sua suasit, sed et exemplis, moribus et vita subjectis ostendit, quaecunque fidelibus suis omnipotens Deus obseruanda mandavit. Pauperum vero illi semper erat maxima cura. Unde dispensatione provida Xenodochio superaddidit decimas atque vineta, ut absque pecunia victus eis praeberentur necessaria. Jugiter illi adversus vitia pugna, quia mens ad virtutes erecta, non erat proclivis ad vitia. Radicem omnium malorum, cupiditatem, vel avaritiam, adeo perhorrebat, ut praeter communem simplicemque victum nil sibi prorsus, quod speciale foret, assumeret. Pietatis affectu potius amari, quam timeri satagebat. Unde jactantiam et elationem procul dubio respuebat, nulli vero detrahere, nullum volens odire, extinctis facibus irae vel invidiae, elegit omnes fraterna dilectione diligere. Semper hilaris, semper laetus, praeferens hilaritate vultus, quam sincerus et purus et erga Deum et homines ejus esset affectus. Quanquam vero jugi esset contemplatione suspensus, erat tamen singulis compassionem proximus, mente immine deflectens a contemplatione, dum pietas ferueret in opere. Sic nimirum in similitudine coelestium animalium, ante et retro oculatus, utrarumque virtutum fuerat charitate devinctus: ut dum euilibet earum videretur intentus, proprietate tamen non careret alterius. Taliter se agebat, qui Deo nil charius possidens praeferebat, ex omni cordis et animi affectu, diligens Deum, omnem vero christianum tanquam se ipsum: seruans in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, in humilitate modestiam, in disciplinae seueritatem censuram. Erga bene agentes Praelatus apparere noluit, sed ut coaequalis et socius: adversus vero vitia delinquentium, promotionis suae exercebat priuilegium. Quis autem verbis valeat exprimere, quanta discretione omnia judicia sua studuerit temperare, quantaque justitia moderari? dum etenim pro quovis delicto alicui foret inferanda correctio, primitus in se descendens, iuxta illud Apostoli, si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris: tanquam proprii reatus delictum deslebat alterius. Ita nimirum mens Deo devoti pectoris, omni se

excoluit genere pietatis, satagens gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, vir plane mitis et justus, sic omnibus omnia factus. Quo enim dolente non condoluit? quis ad illius aspectum moerorem non mutavit in gaudium? quis ira inflammatus, illius sermone non est mitigatus? quis iniqua cogitatione pulsatus, non illo est medente curatus? quis consolari petiit, et consolationem non invenit? quis vim verborum, quis efficaciam exprimat sermonum? quis pietatem evolvere, quis charitatem valeat enarrare? in qua adeo radicatus fuerat, et fundatus, ut licet nullius expers esset virtutis, hujus tamen cultor existeret specialis. Non segniter etiam animo retinens, quod quanto subjectis Praelatus, tanto curis majoribus esset occupatus: studebat omnimodis Deo per contemplationem placere, exteriorum curas per idoneas quasque personas solemniter administrare. Taliter ex voto liberius vacans Domino, utrobique providus prospexit: intus propria vigilantia, exterius congrua prouidentia. At quoniam fuerat mirae mansuetudinis, et discretionis, sciens, quod districtio, si modum excedit, saevitiam gignit, et nimia pietas dissolutionem disciplinae parturit. Tanta inter utrumque usus est discretione, ut nec indiscreta districtio subditis, recusandi laboris fieret occasio: nec nimia pietatis exhibitio, disciplinae foret immoderata remissio. Ita nempe exemplo sanctorum patrum gressus suarum instituit actionum, ut nullatenus extra limitem justitiae propriam sineret effluere actionem, hinc profecto felicem, ac jure beatum talem dixerim virum, qui et ecclesiasticae disciplinae vigorem fortiter tenuit, et tamen matrem virtutum discretionem nunquam deseruit.

Cujus ut mores vel actus summatim perstringam, fuit vita laudabilis, verbo discretus et utilis, consilio prouidus, moribus ornatus, affabilitate mellifluus, misericors et benignus, pronus ad veniam, tardus ad iram. Per pietatis affectum, omnium condescendens necessitatibus miserorum: juxta beatum Job, pater erat pauperum, moerentium consolator, pupillorum adjutor: non despexit inopem, nec dimisit absque operimento pauperem: alios resovens verbo consolationis, alios ope reuelans pietatis. Ab infantia Deum timere didicit. Ex utero enim secum egressa miseratio creuit. Arca cordis iugiter referta bona voluntate nunquam vacua manus extitit munere, pauperum sibi apud Deum hic conciliabat patrocinia, faciens sibi amicos de iniquo mammona, qui eum quandoque reciperent in aeterna tabernacula. Ne autem mundum plus justo videretur diligere, mundo solummodo usus est ad necessitatem, non ad superfluam delectationem. Noxias quippe ab animo excludens delectationes, apostolicas aemulabatur traditiones, corpus videlicet castigare, et in servitutem redigere, ut extenuatum coelestibus disciplinis, vas aptum fieret sanctificationis. Nouerat enim animum non posse legitimo imperio perfrui, nisi carnis motus penitus essent subjugati. Hoc denique ritu sacrificii in sui cordis penetralibus hostiam vivam, sanctam, Deoque placentem se exhibuit, dum singulis diebus cum sacrosanctis corporis et sanguinis Christi mysteriis, per compunctionis gratiam se se in holocaustum mactavit.

## Caput XVI.

De fratre suo Frumoldo et duabus sororibus scilicet Oswenda et Berta.

Exstiterat huic beatissimo viro frater germanus, Frumoldus nomine, sorores sanctimoniales, duae quarum una Oswenda nomine, mirae simplicitatis et innocentiae fuit foemina: altera vero Berta nuncupata, litterarum plurimum emicuit scientia. Haec autem beatae Adelheidis primae Vileensis abbatissae, eleganti satis admodum stylo conscripsit, et plurimum religionis vel scientiae suae fructum in eodem loco dereliquit. De cuius praedicta sorore, domina videlicet Oswenda, nostris temporibus factum libet referre miraculum, omni sane laude, memoria, et veneratione dignissimum. Quidam frater in coenobio Brawelerensi, Vdo nomine, adeo pessima laborabat infirmitate, ut omnes cogerentur de ejus desperare salutem. Denique toto miserabiliter intumescente corpore, omnium membrorum amissa sanitatem, trunco potius, quam humano corpori videbatur similis: quodque maxime mortis indicium solet existere, nullum remedium illi adhibitum valuit proficere, volente, ut credimus, Domino demonstrare, quod quanto gravior morbus, tanto potentior omnipotens credendus est medicus. Cumque de solis ejus ageretur exequiis, lento sopore corripitur, videtque per somnum Dominam Oswendam, iam immortalitatis luce potitam, sibi assistere, compatientisque affectu manu totum corpus permulcendo, vim doloris lenire. Inde oratorium jacentis lecto contiguum ingressa, tertio flexis genibus adorauit, sive super aegrotum signum sanctae crucis exprimens disparuit. Illico virtus divina est subsecuta. Nam post paucos dies convaluit integra sospitate recepta; unde nec dubium extitit, illo visa pandente ipsius suffragantibus meritis erutum illum de confinio mortis. Fuerat autem tam immanissimus languor, ut a planta pedum usque ad verticem in eo non esset sanitas: sed tota corporis cute subtracta, acsi vetere homine exutus, recenti corio cum salute est superindutus.

At vero praedictus beati Wolphelmi germanus, Dominus videlicet Frumoldus, armis terrenae militiae exutus, se illis implicari recusauit ulterius, ut Deo seruire posset expeditius. Studium itaque peregrinationis arripiens, ne exul coelestis fieret patriae, omni reliquo vitae suae tempore longe lateque ad promerenda sanctorum patrocinia se studuit exiliare, uno tantum contentus seruulo comite: cui tamen versa vice, ut alter Martinus, sic saepius consuevit ministrare. Quod genus divinae propitiationis illo pedibus jugiter exequente nudis, adeo saepius vidimus eum liventes plantas habere, ut nulla ratione calceamenta valeret admittere. Erat etiam ei solennis consuetudo, quam diu ad divinum in ecclesia assistebat officium, omnimodis alicujus vitare colloquium: sed stans, vel humi prostratus orans tanta lachrymarum potiebatur ubertate, ut velut imbre perfusum madidum reliquerit paumentum. Hanc compunctionis gratiam per divinam possidens clementiam, custodem in se reliquarum deputavit esse virtutum. Quia nullum penitus ei dominari novit delictum, cuius

mens sedulo compungitur ad lamentum. Quis hunc fidelissimum Domini dubitauerit servum, cuius executio mandatorum, tam euidens meritis illius praebet testimonium? Quamvis etenim in pace praeSENTIS vitae consummauerit cursum, explevit tamen martyrium, satagens crucifixum habere mundum, dum carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit, et dominum fideliter sequens mundo peregrinus extitit. Hic coetibus justorum, ut confidimus, conjunctus, in ecclesia propriae possessionis quiescit sepultus, haec pauca prolata sufficient ad sanctitatis testimonium beatissimi patris Wolphelmi et Frumoldi germanorum.

### Caput XVII.

De Borchardo milite, qui viro dei adhaerens plurimum dilexit.

Erat tunc temporis vir quidam genere nobilis sed moribus nobilior Borchardus nomine praefectoriae dignitatis, sed et praepotens armis, qui germanus extitit Illustrissimi viri Emehardi Wirceburgensis episcopi. Hic evangelii non surdus auditor, si vis perfectus esse, vade: vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me: relictis omnibus, quae temporaliter videbatur possidere, Kanerberg, Castellum suae munitionis, domino consecrari fecerat locum orationis, taliter dum dives esse posset in mundo, pauper elegit esse cum Christo: plebejo habitu amictus sanctorum perlustrabat loca, servorum Dei solerter requirens alloquia, unde et ad notitiam famuli Dei Wolphelmi deductus, maxima ab eo loco venerationis est habitus: et ut quondam animae David colligata est anima Jonathae, sic amor Dei confoederavit vtrosque. Ex hae itaque mutuae charitatis affectione, frequenter eum solitus invisere, dulcissimos gaudebat verbi divini favos ex ore ejus percipere. Mirabatur autem supra modum tantam illi coelitus concessam divini affluentiam verbi, ut quomodo ex supercrescente fluvio rivus, ita ex illius mellito gutture manaret sermo divinus. Sed quid mirum, quod semper animus fixus in coelestibus, de divinis tractare valebat subtilius? vt ergo rei ordinem prosequamur, volens Dominus pio reuelare discipulo, quanta perfectio lateret in magistro, talis ei nocturno silentio divinitus declaratur visio. Vedit igitur illum, quem tremit tartarus, colit abiussus, coelorum adorat exercitus, in quem desiderant prospicere ordines dignitatis angelicae: hunc, inquam, vedit balneo impositum manibus et officio beatissimi Wolphelmi reuerenter foueri, ablui et detergi: vbi etiam circumstantes duodecim Apostoli adminiculum ferre videbantur ministranti. Ille igitur vir praeclarissimus coelitus sibi ostensam visionem per quendam Meginhardum nomine monachum fratrem satis sibi familiarem ad viri Dei properauit transferre notitiam. Qui sagaci animo vim somnii discutiens, coepit diligenter investigare, quid visio haec videretur portendere, Intellexit itaque patenter se commoneri vigilanter boni seruare tenorem propositi, Christo in suis omnimodis ministrari membris, juxta ipsius dicentis vocem: quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Gaudebat autem vir Deo amabilis summo electorum capiti operibus placuisse pietatis, sed seriem, actibus exequi cupiens visionis, vice Domini balneum praeparatur egenti, in cuius singula peraguntur obsequio, quae visionis poposcerat ordo. Quibus rite completis, toto corpore mundus et sanus egressus, ex integro novis est vestibus decenter ornatus, a quo tempore tantam gratiam meruit obtinere, ut mirabilium quoque patrator operum mereretur existere.

### Caput XVIII.

De muliere, quae recepit visum per ablutionem digitorum miraculose.

Fuerat itaque quaedam mulier in territorio braweilerensi Golda nomine, quae utrorumque lumen coecitatem se doluit incurrisse, cumque omnium illuminatori placuisse per famuli sui merita illi subvenire, sub nocturno silentio tali perfruitur visione: videbatur ei leniter dormienti viro Dei Wolphelmo missarum solemnia celebranti assistere, et post expletionem manuum ejus ablutione oculos suos diluere, exterosque fimbriis vestimentorum ejus diu optatum lumen recepisse. Quam visionem ad nos perlatam famulo Dei ad divina mysteria properanti humiliter suggestimus, et ut pauperculae mulieri compateretur exoravimus. Qui non assensit, hoc sui non esse referens meriti, et somniis saepe fallentibus fidem non leviter adhibendam, sed si est, inquit, haec visio ex se, secundo ac tertio Dominus dignetur eam reuelare. Itaque corde contrito et humiliato in jejuniis et orationibus reconstituto, eadem visio, quae mulieri primo apparuit, secundo et tertio: quid plura? Tandem vir Domini nostra victus instantia secreto admittitur illa, ante fores ecclesiæ jussa consistere, quia non usus ei furat facile nisi certa ex causa frequentiam mulierum admittere. Itaque rite peractis missarum solemnis, vt docuit visio, abluit, extersit, mox clare videns remeavit. Tunc vir sanctus nolens virtute facti hujus humanis favoribus attolli, memor dominicae praeceptionis jubantis discipulis, ne quoadusque tempus compleretur resurrectionis, ordinem cuilibet panderent visionis, interdixit summopere nobis, id illo in vita superstite nulla ratione prodere, nulla necessitate detegere.

## Caput XIX.

De periculo nauigationis in Rheno, a quo miraculose orando se ac socios suos liberauit.

Vir itaque Domini de die in diem virtutum exuberans copia indesinenter ad coelestis vitae suspirabat gaudia, quae iam promeruisse gaudet felix ejus spiritus in sui domini praesentia. Nam quam diu in corpore vixit, mundum corpore, non mente, inhabitavit, ibi magis habere fixum appetens animum, ubi gaudium noverat sine fine mansurum. Unde et merito dicere valebat cum Apostolo, nostra conversatio in coelis est, et illud: non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Coelestis ergo patriae incessibili flagranti amore inter alia atque alia virtutum exercitia, tanta ei erat orationis instantia, ut quanquam omnibus floreret virtutibus, hanc tamen possidere videretur principalius. Ex cuius assiduitate haec etiam ei inolevit devotio, ut singulis annis dum more sanctae et universalis ecclesiae jejunium obseruaretur quadragesimale, non solum circumiacentia, sed et Agrippinae Coloniae ubique sanctorum orando inviserit loca. At quoniam hujus rei nunc incidit mentio, libet referre grande periculum, immo miraculum, quod nobis contigit redeuntibus Coloniam e Tuitio. Beati et gloriosi Confessoris Heriberti sepulchrum oratum petiveramus: reddituri, puppim ascendimus: soluti a littore ad modum prospere navigabamus. Introrsum nos unda iam longius rapuerat, dum ecce repente intolerabili exorta tempestate, rupta quies Rheni ab imis sedibus perturbatur: vndeque in se redundantes, ad instar prominentium rupium, capitibus imminere videbantur in naui residentium. Sicque nauis hue illucve vagis dilabitur undis, et nunc summo in fluctu pendens, nunc unda delicens terram inter fluctus aperit, turbatisque nautis prae pauore mortis sonus haesit in gutture vocis. Tanto nobis vallatis periculo, virum Domini, in posteriori nauis parte residentem, et suo more, nescio quid secreti, meditantem, et eorum, quae nobis evenerant, prorsus ignarum adiui, et mortem omnimodis imminere nunciavi. Qui protinus ad orationum convolans nota praesidia, sanctorum deuotissime implorat suffragia, litaniae supplicatione imposita, de hinc cum creba crucis objectione, salvator mundi salua nos. coepit canere, qui per crucem, inquiens, et sanguinem redemisti nos, auxiliare. Hortatur dehinc resumptis viribus constanter remigare viros, nullo mortis metu concuti nullum ex eis peritum asserens providentia Dei. Hac exhortatione animati, et quoniam res pro anima fuerat illis, dum fortiter ad litus tendunt, viriliter aequora scindunt. Interea miserabilis clamor untriusque sexus super litus consistentium attollitur in coelum periculum nostrum eminus intuentium. Quid multis morer? inter confinia positi mortis et vitae, tandem perlabilimur ad locum ubi multitudo navium latius Rheni occupaverat sinum. Quas attingentes et ex altera in alteram transmigrantes juxta viri Dei vocem praeter spem evasimus omnes. Veruntamen ne dubitaretur ullo modo, illius nos salvatos merito, concite ad rabies Rheni fulminis divino declaravit indicio. Denique ut ille beatus pedem extra puppim extulit, quae paulo ante divinitus suspensis fluctibus praedae fuit, et quae prius onusta mergi non potuit, subsistere tanto viduata patrono nequivit, sed protinus nobis cernentibus submersa disparuit. Taliter post perimmeni moeroris praecipitum meritis serui sui maximi nobis gaudii dominus contulit beneficium, dum et virtutum ejus gratiam extulit, et quod verebamur, avertit.

## Caput XX.

B. Wolphelmus ecclesiam in Kirdorp consecrari procurat.

Per idem tempus quadam die cum secretorum suorum consciis oratorium, ut tunc falso credebatur Braweilerensis parochiae in villa Kirdorp nomine situm oraturus intrauerat, et ecce solo prostratus, carere locum sanctorum patrocinio spiritu sancto reuelante didicerat. Qui surgens ab oratione cum secum consistentibus accessit ad altare, et velamine subducto cum omnia diligentis intuitu perlustrasset, nihil omnino vel sub sigillo vel rimarum fissuris praeter nidificationes vespertilionum, et telas reperit aranearum. Vnde nimur ut par erat mente consternatus absque morarum dilatione Coloniensis ecclesiae praesulem adiit, illi, quaeque gesta fuerant, ordinatim exposuit, cuius mentis passioni ille condolens, datis etiam sanctorum reliquiis vocatum ad se direxit cum eo quendam Hezelinum Scarnensis sedis antistitem, ut sua vice praedictum locum, quia episcopii sui dioecesis erat, Deo consecraret, et ejus servitiis manciparet. Qui libenti animo obtemperans imperio congregata multitudine fidelium divinae religioni dedicauerunt idem oratorium, statuentes ibi duo altaria, superius quidem in honore archangeli Michaelis, inferius vero in veneratione habenda beati Martini Christi confessoris. Hoc in facto nimur illi cum beato Martino similis extitit proportio virtutis, qui pari modo similiter illustratus divina reuelatione populum absolvit a diabolicae fraudis seductione, ara destructa latronis, qui in vice venerabatur Martyris. His ita rite peractis redierunt uterque ad propria Deum collaudantes in jubilo.

## Caput XXI.

De Capella, quam construi fecit in Mesenich et de ejus consecratione.

Hic quoque venerandus pater construi fecit capellam in Mesenich villa, et consecrari fecit eandem per Archiepiscopum Trevirensim dominum Engelbertum, in qua quidem capella ordinavit tres missas fieri per sacerdotem a pastore matricis ecclesiae in Seheim, ut sequens Bulla liquido resonare videtur.



In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Notum sit cunctis Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris, quod ego Engelbertus Dei gratia Treuirorum Archiepiscopus efflagitatus precibus Domini Wolphelmi abbatis Bruweilerensis coenobii ecclesiam constructam in dioecesi mea, in villa autem sua, quae Misinich dicitur, dedicauit quarto decimo Calendas Decembris, in honorem ejusdem sanctae et individuae Trinitatis, et sanctae Crucis, et sanctae Dei genitricis Mariae et sancti Michaelis archangeli, specialiter autem in honorem sanctissimi confessoris Christi Nicolai episcopi, tradens ei omnem decimam novalium syluae singularis ad Clottenem et ad Asche pertinentis. Confirmans insuper eam dote praedicti abbatis Wolphelmi et suis successoribus eidem collata, uno videlicet jugero vinifero cum duobus mancipiis, quibus additae sunt VI. vineae, quas dederant Waldo, Luzo, Baldim, Minegiis, Theyzo, et Madelo, supra quae ex banno sancti Petri apostoli atque meo constitui presbyterum, qui ibidem officium compleat tribus diebus in hebdomada, et omnibus diebus festivitatum et jejuniorum quique baptizandis et infirmis et sepeliendis debitam curam impendat, tales potestatem habere, vt nemo praesumat ei in eisdem collatis ecclesiae beneficiis fraudem aliquam vel violentiam inferre. Et ut haec concessio rata et inconvulta permaneat, haec charta authoritate sigilli nostri cunctis legentibus permonstrat. In die vero dedicationis ejusdem ecclesiae, supradicti villani per singulos annos decreuerunt, non solum quoad viuerem, sed etiam post meum excessum in eleemosynam meam panes unius modii, sex sextarios vini, carnes etiam aut pisces uno solidi appretiatos expendere. Gesta sunt haec anno Domini millesimo octogesimo octavo, inductione duodecima, imperante domino Henrico hujus nominis tertio imperatore augusto. Hujus rei testes sunt Hungerus Choripiscopus, Dudechinus Decanus, Rodericus presbyter, Buno presbyter.

## Caput XXII.

Wolphelmus capellam in pago sitam construi et consecrari facit, nec non altare S. Joannis Euangelistae, retro summum altare templi coenobii Braweilerensis.

Idem vir Domini divini amoris aestu insatiabiliter flagrans animadvertisit fratres suos non modicum grauari propter saeculares laicos, quibus illo in tempore divina more parochialis ecclesiae in altari sanctae crucis celebrabantur, hinc consilio fratum suorum ductus, imo cujusdam devoti viri Siberti nuncupati subsidio adjutus capellam sancti Laurentii prope ecclesiam situatam pro laicis construi fecit, ad cuius instaurationem praefatus Sibertus quindecim jurnales terrae arabilis legavit pro remedio animae sua, ac suorum, quam profecto capellam iam perfectam Archiepiscopus Coloniensis dominus Sigiwinus consecrauit, anno Domini millesimo octogesimo quinto una cum summo altari ibidem in honorem victoriosissimi martyris Laurentii et sanctarum virginum Margaretha et Agathae. In quo quidem altari has reliquias recondidit: de vestimento gloriosae virginis Dei genitricis Mariae, de S. Laurentio martyre, de S. Margaretha, de S. Agatha, de S. Thoma, apostolo, de S. Pancratio, de duobus Ewaldis germanis Christi presbyteris Coloniae ad S. Cunibertum quiescentibus, de reliquiis S. Maurorum, de S. Medardo, de S. Remigio Remensi Archiepiscopo, de S. Meginrado eremito, et confessore, de S. Afra, de S. Sivonia, de S. Runonia, de undecim millibus virginum.

Eadem vice idem Archiepiscopus dignissimus consecrauit altare retro summum templi altare situm in honore sanctae et individuae Trinitatis et gloriosae semper virginis Mariae, et praecipue etiam in honore sanctorum Joannis Euangelistae, Cosmae et Damiani, Luciae et Petronellae virginum, in quo quidem istas, quae sequuntur, reliquias reclusit de S. Joanne Euangelista, de S. Cosma et Damiano, de S. Lucia, de S. Petronella, de sepulchro Domini, de S. Vito et Crisogono, de duobus Ewaldis germanis, de S. Vrso martyre ex legione Thebeorum, dens S. Laurentii, de S. Nicomede martyre, de S. Cypriaco martyre, de S. Mauris martyribus, de S. Florino confessore, de S. Remaclo episcopo, de S. Seruula, de S. Modesta virgine, de S. Verena virgine, de S. Christina virgine, de S. Basilla, de capillis S. Mariae Magdalene, de virga Moysis, de S. Cruce. Haec beatissimus pater septimo anno ante obitum suum sollicitavit fieri.

## Caput XXIII.

Mulier meritis beati viri plene sanitati restituitur.

Illud etiam non reticendum arbitror rei gestae miraculum, quod vidimus fieri sub testimonio omnium fratrum, et est, fama vulgate, circumquoque notissimum. Mulier quaedam Adelheidis nomine, variis omnium membrorum languoribus oppressa, ad beati Nicolai in Braweilerensi coenobio limina, recuperanda salutis gratia, est perlata, quae cum detimento omnium membrorum, occultis etiam viscerum doloribus ac non ferendis cruciatibus quatietebatur, ita ut omnis generis annonae panem adeo fastiderit, ut non solum gustare, sed et vitaret attingere. Haec quidem beati Nicolai meritis celerem sospitatem recepit in membris: veruntamen occulto Dei iudicio omnimodis, ut prius, panis abstinuit edulio. Dum vero post aliquot annos divinae clementiae, ab hac illum placuisse infirmitate absoluere, intempestae noctis silentio tali perfruitur visu: videbatur illi, beatissimum virum Wolphelnum panem benedixisse, et illum susceptum ab ejus venerabili manu se auide comedere: quae fidem adhibens visioni, sciens per eum his majora posse fieri, flebilibus vocibus panem sibi ab eo obsecrat benedici, qui renitens totis viribus, indignum se proclamat ministrum operis hujus. Tunc videres



animum viri Dei anxie perturbari: velle quidem misereri, sed palam id propter jactantiam fauoremque nolle fieri. Attamen, ne diutius videretur protrahere, quod diuinitas per eum disposuerat adimplere, allatum panem benedixit, mulieri porrexit, praesentibus nobis illa comedit. Quae viri Dei meritis ex integro sanitati restituta, omni, quoad vixit, tempore ibidem ecclesiae usibus tanto commodius ac devotius studuit deseruire, quanto pree aliis multiplicibus ac differentius gratias sanitatum meruit obtinere. Vir autem domini, quanquam tam preeclaris et eximiis polleret virtutibus, nunquam tamen illius elationi succubuit animus, non gloriandum recolens ex virtute signorum, sed ex consortio collegii electorum. Quis vero singulatim queat referre sanitatum genera, in diuersis per illum languentibus exhibita miseratione diuina? saepius enim, illo visitante, est indulta aegrotantibus salus, quod tamen ab aliquo sibi imputari prorsus non patiebatur. Sufficient e pluribus ista fidelibus, ex illius memorata virtutibus.

## Caput XXIV.

Obitus beati Wolphelmi.

Post innumera divinae per illum operationis patrata beneficia, volens pius Dominus serui sui consolari gemitus et suspiria, crebro dicentis cum Propheta: quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? satiabor, dum manifestabitur gloria ejus, placuit ei hoc ordine dissolutionis suae tempus reuelare. Quadam die tempore meridiano pro consuetudine illo, non jacendo, sed sedendo, dormiente, speciosissimus per visum juvenis ei adstitit, et ut se quantocius sequi festinaret, admonuit. Qui comitatus euntem Angelico ductu ad loca perducitur amoenissima, omnis decoris varietate vernantia, incomparabili lucis splendore micantia, totius etiam suavitatis odore redolentia. Ibi ostensis illi diuersarum habitaculis mansionum, fidelibus nimirum a Domino promissarum, tandem in quoddam illum Angelus magnae venustatis et proceritatis introduxit aedificium, cuius intus et extra contemplari jubetur diligenter ornatum: hunc sibi mansionis locum divinitus esse praenuntians destinatum: quem, inquiens, quanto studiosus ac venustius exornaveris, tanto jucundius ac felicius in perceptione illo frueris. Taliter Angelico affatu de perennis gloriae felicitate commonitus, evigilans, seorsum quibusdam visum indicat fratribus, annexens procul dubio se quantocius dissolvendum. Vnde miro modo animo consternati, utpote ejus semper fuerant beneficia pietatis experti, de illius merito amissione intolerabili torquebantur afflictione. Verum certius hinc colligere cupientes, diem signant, eum cum visione notantes: quem anni renoluto circulo, ipsa die carnis solui contigit ergastulo, quo coelitus ei fuerat visio oblata. Unde patuit non phantasticam illusionem, sed veram fuisse visionem, quae tam euidenter et viri Dei dissolutionem, et coelestem ei designauit mansionem. Per continuum itaque illius anni spatium, non segniter dormiendo, sed solerter bonis operibus invigilando, Domini sui adventum exspectabat, atque conservis suis talentum sibi creditum erogabat. Tanta autem vis divini amoris cor ejus penetrauerat, ut etiam, si nollet de Deo loqui, silere non posset. Cumque id solito instantius atque ferventius ageret, proinde nonnulli cooperunt fastidire, minusque libenter audire. Quod ille perpendens non se a bona subtraxit intentione: sed volens eos resipiscere, illud Apostoli crebra inculcabit repetitione: filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Haec quippe dicebat, quia quos iam praedicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat, illud subjungens: mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Dum vero quadam die paterna se minus cerneret admonitione proficere, Spiritum sanctum tota excipiens mente, in haec verba prorupit Amos prophetae, imo ut potius postmodum rerum probauit eventus, ipse spiritu tactus prophetiae: venient, inquit, dies, dicit Dominus, et mittam famem in vos: non famem panis, neque sitim aquae, sed audiendi verbum Dei. Nouerat procul dubio, quod sicuti fames est carnis, subtractum subsidium corporis: ita fames est mentis, silentium vel amissio divinae collocutionis. Unde futura eis quasi iam praeterita narrans: noueritis, asserebat, quod absque dubio in quibus nunc vobis onerosus existo, vel fastidium genero, summo ea vobis quandoque non tamen effectum habituris, futura desiderio. Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis instat. Haec idcirco praetereunda putaui, ne incassum prolata haec verba credantur hominis Dei: dum omne, quod locutus est, verbum aut impletum, aut in futuro non ambigamus implendum. Licet autem iam ultimam duceret aetatem, nullatenus tamen propositi sui passus est infirmari rigorem, indulgentius vivendo, labore remisso. Exiguum tamen reputabat praesentis temporis laborem ad superventurae gloriae recompensationem. Quapropter nec longaeuitatem temporis, nec difficultatem causabatur laboris, sed potius omnimodis addens labori laborem, angelicam studebat exequi exhortationem. At vero imminentie iam ejus emigratione, ubi se sensit repente viribus destitui, infirmitate grauari, euocatum Reuerendum Dominum abbatem coenobii B. Pantaleonis martyris, nomine Hermannum, totius honestatis et religionis virum olei sacrati se fecit liquore perungi. Paucis dehinc euolutis diebus primo lucis crepusculo decimo calendas Maii viam uniuersae carnis ingressus obiit et gaudium Domini feliciter introiuit.

Floruit autem temporibus secundi Henrici imperatoris, qui monarchicam regni obtinuit post discessum tertii Ottonis, tempore B. Heriberti sanctae Coloniensis sedis Archiepiscopi, et vixit usque ad tricesimum tertium annum regni quarti Henrici imperatoris, cuius pater extitit Henricus tertius, avus imperator Conradus, transiit autem plenus dierum omniumque profectibus bonorum operum Anno millesimo nonagesimo primo divinae incarnationis, postquam XXVIII. annis praefuisset. Cujus obitu completo Hermannus tunc temporis Archiepiscopus Coloniensis exequiis ejus summopere satagens devotionis obsequium impendere, ad sepeliendum eum devotus occurrit, cuius exemplo religiosorum virorum etiam turba confluxit, inter quos praecipui et

illustriores habebantur abbates Hermannus videlicet supramemorati Coenobii S. Pantaleonis, et Reginhardus piae memoriae Sigebergensis, qui utrique famulum Domini summo semper coluere studio pietatis. Expletis itaque ab Archiepiscopo pro ejus memoria veneranda missarum solemnibus, ubi sacrosanctum corpus deponi debuit in sepulchrum, accedens per se, amictum amovit Episcopus, quo ejus velabatur aspectus, et ecce mirum dictu, cum esset iam triduanus mortuus, apparuit non defuncti more pallidus, sed roseo colore perfusus, gratia plenus, et veluti roscidulis guttis sudore perfusus. Quo praeclaro viso miraculo plerique fleuere prae gaudio. Ad circumstantes vero conversus Episcopus: En inquit patres dilectissimi, quam devotus hic fuerit Christi servus, quem tanta ac talis commendat gratia vultus. His a praesule peroratis cum debita veneratione secus beati Petri apostoli altare decenter traditur sepulturae. Ibi suffragantibus meritis illius fidelium exaudiuntur vota; infirmis largiuntur beneficia praestante Domino nostro Jesu Christo, cui una cum patre et spiritu sancto est honor, potestas, et gloria per infinita saecula saeculorum. Caeterum post aliquod temporis spatium translatus est propter crebra miracula ad alium locum, nam, ut hodie cernere est, circa altare S. Viti in sepulchro eleuto et capsula lingnea esse ossa recondita jacent, uti propriis vidi oculis.

#### **Epitaphium super ejus sepulchrum aureis litteris conscriptum.**

Ars abit, imperium, stirpsque, gloria divitiarum,  
Forma perit earnis, flos erat ecce cinis,  
Quare WolphelmuS abbas mansura secutus  
Victima grata Deo clauditur hoc loculo,  
Serpens cautela plus simplicitate columba,  
Retenuit patrum nomen et officium.  
In tauro denas Maii soluente calendas  
Corpore pausauit, spiritus astra colit.

**Sequuntur miracula, quibus post mortem suam huic mundo claruit B. Wolphelmi.**

Itaque veluti magno mari emerso praesentis historiae pelago, iam quasi litus cernentes respiramus, dum quaedam solum de miraculis ejus referenda superesse videmus. Satagendum est ergo, ut portum teneamus, cursum consummemus, quoniam sicuti solem solent obducere nubes, sic pigri desidesque scriptores utilium rerum saepius subtrahunt cognitiones, aggrediamur itaque miracula referre, quae ob obitum ejus divina per eum celebrata virtute.

#### **Caput XXV.**

De muliere a paralysi liberata.

Fuit in territorio Braweilerensi mulier quaedam Wazela nomine, quae dum quadam vice ad opus consedittextilae, tam crudeli ex improviso utrarumque manuum torqueri cepit vexatione, ut clamore dirae vocis cives cogerentur exire. Ex cujus immanitate doloris paralysis obnoxia credebatur passioni. Subito namque adeo inutilis est redditia manibus, ut ad nullos eas valuerit usus applicare. Quo magis magisque ingravescente morbo prae nimia doloris contritione inter manus tenentium obdormivit, et hujusmodi lenis vocis sonum dulciter audit: quid sopore deprimeris? si praesenti passione carere volueris, surge velocius, et cum oblatione cerei Domini Wolphelmi adito sepulchrum, illius enim meritis ex gaudio potitura salutis. Quae alacri fide, promptaque deuotione jubenti satagens obedire, ardente sepulchrum invisit cereo, nec beati patris diffidens meritis, nec dictis credere cunctata monentis. Quae ubi ad orationem procubuit, post pusillum sana surrexit, et gratias agens Deo, sospes ac laeta recessit.

#### **Caput XXVI.**

De fratre Braweilerensis coenobii a periculis maris atque piratis liberato.

Frater quidam ex coenobio Braweilerensi Heribertus nomine, post obitum beati Wolphelmi in Daciam provinciam fuerat transmissus, cum aliis quibusdam religionis monasticae gratia fratribus: ubi cum aliquantis per commoratus esset, et iam redditum ei persuaderet animus, comitantibus secum viris honestis ac religiosis, iter est aggressus. Cumque ad mare peruenissent, piratis insidianibus, et diu noctuque maris sinum occupantibus, ferme per dies novem negabatur transitus. Unde nimia cordis contritione omnes pariter afflitti, ut propitius adesse, dignaretur Dominus se invocantibus, intimis precabantur visceribus. Nec distulit pius dominus suorum vota fidelium, concite largiendo subsidium. Adest namque praedicto fratri sub noctis silentio B. WolphelmuS per visum in crastinum jubens accelerare transitum, mare pacatum, hostium de nuntians impetum refraenatum in memoriam vero suae liberationis ter ternis psalmis cultor ille sanctae Trinitatis, Domino vota persolui jussit jubilationis. Taliter hostium sublata formidine, non modicum gaudium sumpsero ex divina reuelatione: et marinis se laeti ingerunt fluctibus, piratis minime nocere valentibus. Hoc ordine per serui sui merita ab imminentibus malorum procellis eruti divinae gratias agunt liberationi. Quod ut ab ipso fratre, qui pertulit, agnovimus, fideli narratione retulimus.

## Caput XXVII.

De clando sanato, qui morabatur in Polheim.

Eodem tempore claudus quidam Willemannus nomine, ex villa, loco Braweilerensi, contigua, Polheim videlicet nuncupata, obtenu B. Wolphelmi diu negata membrorum recepit officia. Tempore quippe quadragesimali ad locum accedens sepulcri, quo salutis arderet desiderio, cordis promebat gemitu, quo salutis ducebatur gemitu, cordis illius declarabat afflictio. Denique ad Deum tota intentione conversus, lacrymosis precabatur suspiriis, ut serui sui meritis sospitatem mereretur in membris. Nec spes fefellit, cui fides incitamentum praebuit. Citius enim dictu claruit, cuius sanctitatis vel meriti vir beatus extiterit. Repente enim diu contracti se cooperunt extendere nerui, et venarum meatus vitalis sanguinis infusione repleri, et membra prius praemortua, in pristinum vigorem restitui. Quid longius morer? sentiens homo divinam in se operari virtutem, lento conamine assurgere nitens, quanquam adhuc nutante gressu, in pedes constituit, et quae circa se acta fuerant, praesentibus fideliter disseruit; quorum manibus sustentatus, et huc illucque deductus, ut res innotuit fratribus, magnifice laudatur, et glorificatur Deus, qui in sanctis suis mirabilis est, et gloriosus, faciens mirabilia solus. Ad indicium vero tanti miraculi, sustentatorii illius baculi super sepulchrum beatissimi viri multo tempore mansere suspensi.

## Caput XXVIII.

De muliere contracta in Geroldishoven, quae sanitatem per merita beati viri recepit.

Alio ferme tempore huic miraculo accedit consimile, quod quando qualiterue sit factum, libet referre. De villa Geroldishouen, mulier omnimodis contracta, ad saepemoratum locum ab amicis est deducta. Haec sedulo ibidem incubans precibus, templi limina frequentabat attentius. Existente autem sacratissima B. Petri Apostolorum Principis solemnitate, et hanc cum reliquo vulgo tantis contigit interesse solemnii. Quae largiter flens, et longa suspiria trahens, ante sepulchrum B. Viri prosteratur, miseram se ac infelicem nimium conqueritur, cuius nec preces mererentur admitti, nec corporis incommoda solui. Sed qui quodam mulieris Chananaeae, et hujus voluit preces differre, ut importunum illius desiderium fidei esset experimentum. At vero quoniam beati viri meritis saluari posse non haesitauit, sed in fide postulans perseverauit, effectum meruit. Erecta quippe divinitus exclamavit, omniumque silentium clamoribus rupit. Ubi enim ossibus ossa se conjunxere disjuncta, et neruorum contractio iuncturarum fiebat connexio, non est mirandum, quod fragilioris mulieris sexus expauit animus. Exurgens itaque a pavimento, recepto vigore, incolumis praevaluit ad propria remeare. Talibus miraculorum effectibus veraciter cum Christo se viuere mundo testatur vir iste beatus. Amen.

## D. Meginhardus.

Abbas VIII.



um sanctum Wolphelnum antecessorem suum id temporis Braweilerensi coenobio praeidentem seu patrem filius super veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistiae sacramento consuluisse supra in sexto capite vitae S. Wolphelmi enarravimus.

Hoc Praelato substantia monasterii per oppignorationes, aliasque transactiones plurimum decreuit, id ne factum sit injuria ejus, an injuria temporis, an vero utriusque causae concurrentia novit is, qui omnia.

Vixit sub Gregorio VII. pontifice maximo et Victore III. ex ord. S. P. N. Benedicti, Henrico III. imperatore, Sigewino Archiepiscopo Coloniensi.

**D. Adelbero.**

Abbas IX.



**Q**ui suffectus Meginhardo seduli administratoris partes gnaviter egit maxime in eam curam intentus, ut oeconomiam tempore antecessoris sui ex parte magna convulsam redintegraret, labentem fulciret, hoc in pio conatu felicior quod usus fuerit industria. Consilio et opera ejusdem monachi sui Christiani, qui post eum onus cum dignitate suscepit, non nulla desperita recuperavit, census etiam quosdam novos adjecit, tandem sarcinam constrinxit, et humana valere jussit 12. Aprilis.

Praefuit sub Paschali II. pontifice maximo ex ord. S. B. N. Benedicti.

**D. Christianus.**

Abbas X.



**C**hristianus abbatis munus obivit tempore Friderici Archiepiscopi Coloniensis, fuitque, ut antiqua monumenta adstruunt, fidelis et prudens dispensator ecclesiae Gladbacensis. Monasterium siquidem aere alieno liberavit, bona, quae aliis oppignorata erant, redemit, novisque beneficiis et censibus rem oeconomicam auxit. Praefatus Archiepiscopus hunc abbatem aliquoties in litteris nominat fratrem suum, refertque se ad petitionem fratris sui Christiani abbatis Gladbacensis admonitum, vt testamentum ordinationis quarundam rerum sicut ipse disposuit, confirmaret, quod et factum est in hoc monasterio praesente Archiepiscopo anno 1116. An autem fraternitas illa inter Archiepiscopum et abbatem praedictos a cognatione sanguinis processerit, incertum relinquitur. Humanis exemptus ad pulveres rediit 25. Januarii.

Vixit sub. Paschali II. pontifice maximo ex ord. S. P. N. Benedicti. Henrico IV. imperatore. Friderico I. Archiepiscopo Coloniensi.

**D. Walterus.**

Abbas XI.



**W**alterus ad clavum sedit anno circiter 1130, et ad professionem admissit fratres sequentes, ut scedulae eorundem manibus exaratae etiamnum in archivio extantes fidem faciunt.

|                             |                             |                           |
|-----------------------------|-----------------------------|---------------------------|
| F. Rudingerus.              | F. Godefridus subdiaconus.  | F. Folcardus sacerdos.    |
| F. Eckeberthus subdiaconus. | F. Weriboldus conversus.    | E. Rutgerus conversus.    |
| F. Rutgerus acolythus.      | F. Rudolphus.               | F. Wedericus subdiaconus. |
| F. Waldericus conversus.    | F. Thietpoldus subdiaconus. |                           |

Walterus de anno 1133 usque ad 1135 crebro in litteris patentibus archiepiscopi Coloniensis testis reperitur, infra quod spatium duo coenobia fundavit, de quibus haec litterae:

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Bruno superabundanti gratia spiritus sancti sancte coloniensis ecclesie archiepiscopus. Omnibus in christo pie uiuentibus tam futuris quam presentibus.

Quia nostri est officii. nostre cure. nostre solicitudinis. nostre uigilantie. ecclesiasticam tamen monasticam religionem ordinare et dilatare. tueri et defensare. ratum duximus. stabilimus et confirmamus uirtute spiritus sancti et auctoritate nostri pontificatus quicquid frater noster Walterus abbas uidelicet gladebachensis cenobii in possessionibus sui monasterii ad honorem dei et animarum remedium monasticę religionis ex utroque sexu fidelium ordinavit. sed et quicquid ex consensu fratrum suorum de redditibus ecclesię sue christi pusillis deo famulantibus in wylensi cenobio aut sororibus in nouo oratorio beate Marie perpetue uirginis ad uictum seu uestitum concessit. fratribus scilicet omnes redditus predicti wylensis loci exceptis uineis et agricultura antiquioris curtis. redditus namque commodiori satis utilitate restituit fratribus gladebachensis ecclesie. uidelicet sex marcas pro quinque talentis et decem solidis leuioris monete. Porro sororibus in nouo beate Marie perpetue uirginis oratorio christo famulantibus de uillicatione Raesleide decimam. Herde. Piperlo. Machensteyne decimam etiam Adhelhardi aduocati et sororis eius ex consensu fratrum suorum nichil de prebenda eorum minuens ad uictum concessit. decimam namque Herde Rutgerus quidam secularis aliquando possidebat. Adelhardus uero et soror eius non in beneficium sed ingrata uillici gratia sua habebant. decimam autem Piperlo et Machensteyn uillicorum seruuli messis tempore ita consumebant commensatione et ebrietate ut nichil ex ea utilitatis fratribus proueniret uel ecclesię his saniori consilio in melius commutatis ita manere. uidelicet ad pauperum fratrum et sororum uictum. ut ipsi ordinauimus in perpetuum censemus. Et ne aliquis alicuius necessitatis occasione id infringere audeat sub perpetuo anathemate interdicimus.

Acta sunt hec anno incarnationis dominice. M.C XXXV. Indictione. XIII. Nonas Decembbris. ecclesiam regente beato papa Innocentio. regnante uero reuendissimo imperatore Lothario. sub his testibus. Arnoldo maioris ecclesie s. Petri preposito. Hugone decano. Tiepolo s. Seuerini prep. Arnoldo s. Andree prep. Theoderico s.s. apostolorum prep. Arnoldo prep. de gradibus. Henrico comite de Kesse. Gerardo de Hostadin. Adelgero de Gladebach. Almaro aduocato. Heinrico de Aldendorp. Thiderico de Ulfde.

Quid praeterea abbate dignum gesserit aetate illa, vel suppressum, vel diuturnitate et iniquitate temporum exolitum est. Depositionis diem commemorat antiquum necrologium nostrum ad diem 17. Novembris.

Vixit sub Innocentio II. pontifice, Conrado III. imperatore, Brunone II. Archiepiscopo Coloniensi.

## D. Everwinus.

Abbas XII.



ui abbatiale munus obivit anno circiter 1150. Vetera monumenta eum etiam appellant Luewinum et Hebroinum. Superest adhuc campana, quam fundi curauit cum hac inscriptione.

Abbas Henricus, primus fore dicitur hujus  
Author Campanae flamine clarisonae,  
Inde loci nactis abbas Hebroinus habenis,  
Amplificauit eam, conque secravuit eam.

Et ne cui de genuino nomine reliqueretur ambigendi facultas, sub nomine Hebroinus minore charactere scriptum erat Everwinus, quod nomen etiam habent professionum diversae schedulae, ex quibus colliguntur nomina sequentia, quos ad professionem admisit.

|                             |                           |                          |
|-----------------------------|---------------------------|--------------------------|
| F. Joannes sacerdos.        | F. Hemericus sacerdos.    | F. Conradus subdiaconus. |
| F. Henricus subdiaconus.    | F. Rudolphus diaconus.    | Soror Mathildis.         |
| F. Christianus subdiaconus. | F. Gerhardus subdiaconus. | Soror Cunigundis.        |

Anno 1152 die nativitatis b. Mariae V. Archiepiscopo Annoni II. testis adstetit, dum Coloniae in monasterio S. Pantaleonis quasdam ordinationes Wolberonis abbatis dicti manasterii confirmavit.

Vitae finem imposuit 16. Augusti.

Eugenio III. pontifice maximo. Conrado III. Imperatore. Arnoldo I. Archiepiscopo Coloniensi.

**D. Rubertus.**

Abbas XIII.



Rubertus abbatiam moderatus est temporibus Alexandri III. pontificis maximi, Friderici II. imperatoris et Philippi Archiepiscopi Coloniensis \*) Fratres monasterii sui multum dilexit. Postquam nonnullos eorum, in cella Bucholtz prope Broel commorantes, qui aduocatorum importunitate multo tempore oppressi erant, a pristina unctione transigendo liberasset \*\*), omnibus anno 1171 beneficium in Hude (Oedt) ad caritatem constituit \*\*\*) et 1172 allodium Rakesleide ad Aardo de Tuschenbroich et eius patruo de Breidenrode acquisiuit \*\*\*\*) quod rei familiaris bene administratae monumentum adhuc superest et dicitur curtis ad fossam, vulgo Der Kühlenhoff. Anno 1172. monasterio acquisiuit curtem in Lutzerode, de qua sequens littera:

In nomine sancte etindividue trinitatis. Fervor conditiones et ordinationes que fiunt a quibuslibet hominibus tanto sunt sagaciori studio stabienda et authoritate virorum fidelium corroboranda, quanto desideratur eorum firmior esse memoria per succendentium temporum spatia. unde ego Rubertus licet indignus gladbacensis Abbas vocatus notum facio cunctis fidelibus tam presentibus quam futuris qualiter preedium quoddam in Lutzenrode a Gozwino Luzone et equivoco filio suo Gozwino nec non et ab aliis heredibus suis venumdatum fuerit meis temporibus sororibus de nouo oratorio sancte Marie quod est apud nos situm et omni jure illarum ecclesię firmatum. Nam publica conventione cum illis pro quinquaginta marcis facta de hoc perpetualiter illud emimus et ne deinceps inde alicuius improbitate gravari possemus, non solum per manum Theoderici de Milendunck utpote liberi et nobilissimi viri ut iure debuimus nobis illud confirmari fecimus sed et ex auctoritate Beati Petri Apostolorum principis omniumque sanctorum omnem hominem qui nobis in hoc voluerit esse contrarius a consortio fidelium christianoram segregamus et eterne maledictioni subjicimus. Acta sunt hec anno verbi incarnati millesimo centesimo sexagesimo octavo inductione secunda.

Ad professionem admisit sequentes, prout fidem adstruunt professionum scedulae profitentium manibus conscriptae hoc ordine et modo.

F. Theodoricus.

F. Henricus subdiaconus.

F. Bruno.

F. Adelhardus acolythus.

F. Hermannus subdiaconus.

F. Hedenricus.

F. Poppo conversus.

Soror Agnes.

Robertus de anno 1163 usque ad 1180 saepissime Archiepiscopis Coloniensibus in eorum litteris patentibus testis adstitit, diem supremum obiit anno 1183 5. Februarii.

**D. Walterus II.**

Abbas XIV.



alterus rebus praesesse coepit anno 1183 multumque profuisse e comparato quodam molendino arbitrari licet. Ultimum diem composuit 7. Julii.

Vixit temporibus Lucii II. pontificis maximi. Friderici I. imperatoris. Philippi Archiepiscopi Coloniensis.

\*) Ante annum 1163.

\*\*) Vide diploma apud Lacombet I. pag. 279 Nr. 406.

\*\*\*) Ibid. p. 306. Nr. 438.

\*\*\*\*) Ibid. p. 309. Nr. 443.

## D. Henricus.

Abbas XV.



enricus abbatiale officium quod anno circiter 1194 suscepit, intra annos (uti videtur) non ita multos cum vita absoluit 8. Martii.

Temporibus Coelestini III. pontificis maximini. Henrici VI. imperatoris. Brunonis III. Archiepiscopi Coloniensis.

Huic abbati aut eius successori Johannes, Archiepiscopus trevirensis sequentes litteras misisse videtur:

J. Dei gratia Treuerorum Archiepiscoporum dilecto Abbati de Gladebac, totique conuentui salutem, et sincerae dilectionis plenitudinem. Vniuersitati vestrae otum esse volumus, quod honestatem vestram omnibus modis, quibus possumus, intendimus honorare et juri vestro nullatenus derogare: Inde est quod ecclesiam de Celtan ultra tempus definitum et expressum in canonibus, post obitum pastoris sui vacare credissemus, et eam dilecto filio C. Treuerensi Archidiacono, intuitu honestatis sua, contulisset, post modum intelligentes, quod eandem ecclesiam cuidam caro vestro clericu honesto Mattheo pastori de Kempen infra paucorum dierum spatium post mortem sui pastoris contulisset, testimonium praefati M. clericu admisimus, et donationi, quam ei feceratis deferre dignum duximus. Et donationem, quam, iam dicto Treuerensi Archidiacono feceramus in irritum reuocantes, omne jus patronatus in memorata ecclesia de Celtan, vobis, et auctoritati vestrae integre recognoscimus, et in testimonio praelatorum nostrorum, et nobilium nostrorum, quorum nomina subsequuntur, recognouimus: Quia vero liberalitatem vestram in hoc plurimum commendabilem esse sensimus quod supradictum Conradum Treuerensem Archidiaconum in devotum vestrum adoptare, et honestatem suam obsequiis veris obnoxiam reddere voluistis, et praenotatam ecclesiam de Celtam ei per predictum M. clericum verum cum testimonio literarum vestrarum contulisset, donatione eidem M. clericu a vobis facta, per auctoritatem vestram penitus irritata, et irritatione ista ab eodem M. coram nobis, et subscriptis testibus recognita, benevolentiam nostram, et praesidii nostri fauorem in omnibus, quae poterimus, et vobis expedire videbuntur habebitis semper promptiorem. Nomina testium sunt haec: Praelatorum, Godf. abbas S. Eucharii, Conradi abbas S. Maximini, Albertus Treuerensis Archidiaconus, et S. Paulini praeceptor, Wilhelmus Archidiaconus Fredericus, cantor, Cono Treuerensis canonicus et noster capellanus, Joannes de Rosceio Treuerensis canonicus, et reliqui fratres maioris conuentus: Nomina Nobilium: Werricus de Walecuyt, et filii eius, Joannes de Monte Claro, Rudolphus de Malbere, S. Theodoricus de Bruken, Henricus et Fredericus fratres de Kalze et alii quam plures.

Testes enim huius litterae: Godef. abbas s. Eucharii, Conradus abbas st. Maximini. Johannes de Moncleir, Rudolfus de Malberch, Tirricus de Bruche inveniuntur in quadam littera eiusdem Archiepiscopi Johannis de 1200<sup>o</sup>); Archidiaconi, Albertus et Wilhelmus vixerunt 1191 usque 1200 et Conradus, abbas Maximini 1210 jamdudum mortuus erat.

## D. Gerardus I.

Abbas XVI.



erardus I. rebus praefuit sub annum 1205 quod constat ex litteris den. Cammer-forst concorrentibus, e quibus hi quoque fratres eruuntur.

Fridericus Prior. Rudolphus custos. Hermannus camerarius. Alardus sacellanus.

Vixit sub Innocentio III. pontifice maximo. Philippo imperatore. Theodorico Archiepiscopo Coloniensi.

<sup>o</sup> Apud Gunther codex diplom. II. pag. 69.

**D. Hermannus I.**

Abbas XVII.



Hermannus anno 1210 et circiter habens tenuit. Monasterio acquisivit, et possidenda transcripsit tria molendina, testantur id donationis litterae de anno 1210 in quibus et hic fratres.

Andreas Prior.

Henricus diaconus.

Henricus cantor.

Gerhardus camerarius.

Wilhelmus custos.

Alardus cellararius.

Claruit sub Innocentio III. et Honorio III. pontifice maximo. Lothario imperatore. S. Engelberto Archiepiscopo Coloniensi.

Tempore hujus abbatis videlicet anno 1215 seruatum est Romae generale concilium in ecclesia lateranensi, in quo antiqui albigensium haereticorum et Almerici Doctoris Parisiensis novi errores rejecti et condemnati fuerunt praesentibus 412 Episcopis.

**D. Gerhardus II.**

Abbas XVIII.



Gerhardus clavum abbatiale moderatus est anno 1231 quo donationem molendinorum per antecessores factam singulari confirmavit instrumento, quod fratres, qui eo antistite vixerunt, contestantur, eorum nomina sunt.

Hermannus prior.

Conradus.

Fridericus.

Alardus.

Theodoricus camerarius.

Hermannus.

Joannes.

Henricus de Tuschenbroich.

Arnoldus.

Henricus.

Rudolphus custos.

Leonius hospitolarius.

Gerhardus.

Hermannus Joannes.

Henricus.

Petrus.

Ludovicus.

Volquinus.

Hermannus.

Godefridus.

Theodericus.

Claruit temporibus Gregorii IX. pontificis maximi. Friderici II. imperatoris. Henrici I. Archiepiscopi Coloniensis.

Hoc abate in vivis agente Gregorius IX. pontifex maximus in sanctorum numerum retulit Dominicum, Franciscum, et Antonium da Padua; et S. Elisabetham. Excommunicavit idem Gregorius anno 1239 Fridericum II. imperatorum, postquam sufficienter monitus ab injustitiis crudelitatibusque et sacrorum locorum profanationibus desistere noluit. Permovit etiam pontifex electores ad deponendum Fridericum, qui ecclesiae romanae omnem interitum minabatur, et pontificem et ecclesiam fatigabat, eo quod in Francia, Anglia, Dania et Hispania sine timore tanquam excommunicatus pronuntiabatur Fridericus, et cruce signati contra eum sub signa cogerentur. Fredericus autem properabat Romam, ut pontificem in potestatem suam redigeret, properanti, amplissimo exercitu cruce signata cohors, se opposuit. Ad cujus conspectum, adeo territus et in furorem commotus est, ut captos ad se vivos perduci cruce signatos, in prima ipse pugnans acie exclamaverit: inde perductos ad se aliquos, partim quaternis, ad crucis formam perfudit vulneribus, partim caput in crucis modum quadrifariam scidit, partim frontem eadem ferro cruce reddidit insignitos: clericos vero detonsam in vertice coronam, ferro casim in crucem vulneratam (ut dicebat irrisorie) jussit ornari: quorum unus inflatum vulnus nimis patienter ferre visus, in palearum cumulum funiculo est pertractus, et cum benedicere ac laudare Deum perseveraret, igne supposito crematus est. Pontifex autem in difficultatem omnium periculosisssimam adductus, ab eo, in quem sperabat, auxilium protectionemque invenit; cardinalibus enim et clero et populo in processionem deductis ipse capita apostolorum Petri et Pauli praetulit, et a laterana basilica ad principis apostolorum templum nudis pedibus ingressus, suggestu concenso flens et lacrymans tum diuinam intercessionem tum populi ad seditionem mitioris auxilia implorauit. Mirum dictu: in momento mutatis animis

Fridericum detestari, inque eum arma sumere coeperunt, cum primum decretum Gregorius promulgasset sacrosanctum, gloriae salutisque aeterna praemia illis pollicitus, qui aduersus scelestissimum Dei et ecclesiae suae hostem Fridericum pugnaturi crucis signo insignirentur. His nihilo melior factus Fridericus crudelitates maximas in ecclesiasticos exercuit, quorum plurimos in regno Siciliae partim occidit, partim in carcere retinuit, partim relegauit: in nullum autem sacrum locum magis desevierunt Friderici satellites, quam in celeberrimum S. Benedicti monasterium Cassinense, cujus aurea et argentea vasa diripuerunt, fregerunt et ex illis nummos conflauerunt, monachisque ejectis, illud ipsum monasterium insederunt. Cumque plurimas regiones devastasset a convitiis in pontificem non cessavit, nam inter alia ei fertur scripsisse sequentem versum:

Roma diu titubans, longis erroribus acta  
Corruet, et mundi desinet esse caput.

Cui pontifex ita rescripsit

Niteris incassum navem subvertere Petri,  
Fluctuat, ast numquam desinet ista ratis.

Hanc modestam pontificis responsonem aequo animo ferre non valens, non minus stupide quam stolide lusit Fridericus, ut sequitur

Fata volunt, stellaeque docent, aviumque volatus,  
Quod Fridericus ego, malleus orbis ero.

repositus Gregorius pontifex Friderico in hunc modum:

Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur,  
Quod tibi vita breuis, poena perennis erit.

## D. Hermannus III.

Abbas XIX.



Hermannus gubernaculo admotus praefuit anno circiter 1242 et sequentibus, totisque viribus res monasterii sartas tectasque seruare studuit, quaedam oppignorata et in alienas manus translata magnis impendiis reluit, multisque aliis in rebus fidelem ac prudentem super familia Domini constitutum se probavit dispensatorem. Hic assumpto Wilhelmo comite de Kessel advocato in Gladbach dispositionem fecit, quomodo inter parochianos communio lignorum palidis dicti Nersbroch dividenda sit, ut constat ex litteris sigillatis de anno 1243.\* Sequentे anno fraternitatem concessit sororibus curtem Ryle inhabitantibus, prout sequentes litterae demonstrant:

Universis sacrosanctae matris ecclesiae filiis, tam praesentibus quam futuris praesentem scedula inspecturis H. permissione divina abbas et conventus Gladbacensis devotas in Domino orationes girovagorum consuescit turba luporum, incustoditarum greges ouium proteruo temptare insultu, vt pluribus prostratis, unam quaerens, quam deuoret, ovile penitus relinquatur desertum, cum ergo Puellulae in curte nostra Rile residentes hactenus veluit grex incustoditus proprio quodammodo zelo ductae castitatem Domino vouentes eidem inceperint famulari, nec earum deuotio, vt ex sanctorum doctorum relatibus didicerunt, non poterit sine sancta obedientia et vero regimine ullatenus conservari. Hinc est, quod vestrae universitati velimus non latere, quod praefatae Christi famulæ ad nos confluente proprio motae arbitrio cum devota obedientia se nostro regimini perenniter submiserunt; nos itaque earundem precibus et familiaritatis instinctu inclinati, nostrarum precum et orationum eisdem solum in spiritualibus plenam et perfectam contulimus fraternitatem, concedentes praeterea vt in praenominata curte nostra Rile et deserviendum Domino valeant commorari, hac interposita cautione, vt si se minus bene gesserint, nobis rebelles aut inobedientes extiterint, quod sine aliqua difficultate, aut aliqua contra nos juris allegandi occasione, ipsas a nostræ

\* Diploma apud Lacomblet II. pag. 146. Nr. 281.

confraternitatis consortio, et in saepe dicta curte nostra libere amovere possimus. Actum anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, mense octobri.

Hanc concessionem duo canonici Coloniensis augmentauerunt secundum tenorem sequentis instrumenti:

Nos Theodorus canonicus sanctae Mariae de gradibus in Colonia et Arnoldus scholasticus fratres dicti de Steinbukelt, notum esse volumus omnibus præsens scriptum inspecfuris, quod curtis in Ryle, quam tantum jure villicationis possidemus post mortem nostram cum omnibus attinentiis suis libere et absolute redibit ad ecclesiam Gladbacencem. Et si quas expensas fecimus circa eandem curtem aedificiis ipsam reformando, siue de manu laicali redimendo, illae cedent ecclesiae memoratae in nostrorum remissionem peccatorum. Actum et datum Coloniae, anno Domini millesimo ducentissimo quadragesimo quinto. Sabbatho ante circumisionem Domini.

Fratres qui hoc gubernatore vixerunt quoddam archivii monumentum de anno 1243 exhibet aliquot ut testes, quorum nomina sunt.

|                       |                      |                        |
|-----------------------|----------------------|------------------------|
| Henricus prior.       | Ludovicus.           | Gerhardus cellararius. |
| Rudolphus custos.     | Theodoricus.         | Sifridus plebanus.     |
| Henricus hospitarius. | Arnoldus camerarius. | Hermannus.             |
| Leonius.              |                      |                        |

Floruit sub Innocentio IV. et Alexandro IV. pontificibus maximis. Conrado IV. Imperatore. Conrado Archiepiscopo Coloniensi.

Hoc tempore videlicet 1250 die S. Luciae sacro Fridericus II. infensissimus ecclesiae hostis mori coactus est, a Manfredo filio, quem ex nobili concubina suscepserat, compresso per vim ore ac spiritu. Datus est in exemplum divinae justitiae, ut qui ecclesiam romanam matrem suam tot modis per tot annos tam nefarie persecutus est injuste, satis justo Dei judicio a filio spurio interficeretur. Cum enim ecclesia romana illum ab ineunte aetate sub tutela sua in regno Apuliae educasset, et pontifex Honorius III. anno Domini 1220 in imperatorem vnxisset, postea tamen mortua Constantia matre, quae ipsum in officio continebat, immemor accepti beneficii, contra jus fasque pontificiam ditionem vexabat; propter quam causam a Gregorio excommunicatus, Joannis Hyerosolymitani regis intercessione, ea lege absolutus, et ecclesiae reconciliatus est, ut tum res ablatas restitueret, tum ad recuperationem terrae sanctae cum exercitu se conferret. Quas conditiones cum non seruaret, sed aegritudine simulata maximam multitudinem cruce signatorum Brundusii expectantem, ipsumque regem Hierosolymitanum, atque adeo christianos in Asia bellantes deciperet, eaque fraus adeo aperte deprehenderetur, ut ad nuncium mortis Landgrauii Hassiae statim ad ejus res diripiendas homo valetudinarius e Sicilia Brundusium adnavigarit, Gregorius nonus Honorii sententiam prius in Fridericu prolatam denuo repetiit et confirmavit. Ea seueritate perculsus auri uncias centum et viginti millia ecclesiae romanae propter damna illata persoluit, pacem impetravit, ac pro regno Siciliae verum ecclesiae feudatarium se esse confessus est. Sed cum in romanos pontifici resistentes moturum se pollicitus, adeo fidem non liberaret, ut in Germaniam abiens, voluerit milites suos in Italia relictos romanis civibus in omni re obedire, nec ita multo post in Italiam reuersus tam ipse, quam ejus nomine Ezelinus socias civitates oppugnaret, factionemque deterrimarum quae iam tum Guelphi, tum Gibellini appellati sunt, author esset, Saracenis et magistratu mandaret, et urbem (quae Nuceria Saracenorum dicta est) concederet, ecclesias et monasteria spoliaret, Siculos tyrannide grauissima oppimeret, fratrem regis Tunisi baptisnam panormi petentem a tam sancto proposito verbo deterreret, vias deinde paecluderet, ne concilium, quod Gregorius Romae indixerat, convenire posset, insuper cardinales et alios praelatos in vinculis teneret: Innocentio quarto post Gregorii et Coelestini mortem pontifici creato insidias strueret, eumque in Franciam proficisci cogeret: denique ad concilium Lugduni congregatum vocatus venturum se promitteret, nec veniret: omnium consensu in eodem concilio imperio et regnis priuatus fuit. His nihil melior factus tandem in gravem morbum incidit, eumque vitae finem accepit, ut superius narratum est, quem nefandis excessibus demeruit.

Hoc quoque tempore crudelissimus tyrannus Azelinus a pontifica cruce signata cohorte caesus et occisus est, ac sic demum pristina Italiae quies et pax restituta est sub Alexandro quarto, desuper sequens versus legitur:

Sylla, Nero, Caius, Marius, Mezentius: his tu,  
Azeline, ipso et saevior es phalari.



**D. Joannes de Eyle.**

Abbas XX.



oannes tametsi in syllabo abbatum non habeatur, eum tamen abbatem hujus loci fuisse et praefuisse anno 1259 fidem faciunt litterae quaedam pastoratum Vorstensem concernentes ab eo datae anno predicto die decima mensis augusti.

**D. Theodericus.**

Abbas XXI.



heodoricus res Gladbacenses varia administravit fortuna anno 1261 et sequentium usque ad annum 1295, uti ex pluribus monumentis appareat. Fratres illo administratore vixerunt.

Tilmannus pastor Gladbacensis.

Gerardus Pasche camerarius.

Godefridus pastor Kempensis.

Godefridus de Helpenstein pastor in Wyler.

Marsilius de Wickrath cellararius.

Ludovicus de Kempenich.

Tempore hujus abbatis Gregorius X. conoravit imperatorem Rudolphum in Heluetia et seruavit concilium Lugdunense in Gallia, in quo statutum, ut cardinales ante electionem et creationem noui Pontificis extra conclave non egrediantur; studuitque hic pontifex singulariter ecclesiam graecam cum latina unire. Ad hoc concilium multi abbates, inter quos Theodoricus abbas Gladbacensis, tanquam procuratorem destinarunt abbatem Braweilerensem, prout liquet ex litteris summo pontificii inscriptis.

## Tenor litterarum.

Sanctissimo in Christo patri ac Domino sacrosanctae romanae ecclesiae summo pontifici Gregorio X. sancti Panthaleonis, sancti Martini, sancti Viti Gladbacensis, sancti Heriberti Tuitiensis, sancti Michaelis archangeli Sibergensis et in Graffschafft monasteriorum. Abbates ordinis sancti Benedicti, Coloniensis civitatis et dioecesis, nec non decanus Malmundariensis ejusdem ordinis et dioecesis cum genuum flexione, devota pedum osculatione beatorum, sanctitati vestrae significamus, quod nos et quilibet nostrum juxta promissionem sanctitatis vestrae super procuratoribus abbatibus et patribus non exemptis de singulis dioecesibus ad concilium destinandum venerabilem virum Dominum Henricum Monasterii Braweilerensis abbatem ordinis S. Benedicti Coloniensis dioecesis exhibitorem praesentium pro nobis et quilibet nostrum in curia vestrae sanctitatis verum

et legitimum procuratorem nostrum constituimus, fecimus et ordinavimus ad recipiendum apostolicum mandatum cum omni ordinatione ipsius concilii super his, quae in eodem concilio sunt agenda, dantes eidem potestatem et speciale ac plenum et legitimum mandatum praestandi in nostras animas, si opus fuerit cuiuslibet generis juramentum, et ad faciendum omnia pro nobis et nomine nostro in eodem concilio, quidquid nos facere possemus seu deberemus, si personaliter praesentes essemus, et quidquid facere potest et debet verus et legitimus procurator, ratum et gratum habentes quidquid procurator pro nobis fecerit in promissis, in cuius rei testimonium subscriptum sigillis nostris duximus muniendum. Datum dominicae incarnationis Anno MCCLXXIV.

Praedictus pontifex Gregorius X. obiit anno Christi 1276 cui in pontificatu successit Innocentius V. ex ord. S. Dominici. Qui S. tantum mensibus sedit: huic successit Adrianus V. unius mensis et novem solum dierum pontifex. Adrianum secutus S. Joannes XX. ejusdem nominis pontifex, qui post acto menses vita functus est. Post hunc in cathedra Petri sedit Nicolaus III. anno 1277 quem secutus est Martinus IV. anno 1282. Hunc vero Honorius IV. anno 1285. cui post duorum annorum regimen successit in apostolica dignitate Nicolaus IV. ex ord. S. Francisci, rex hic pontifex 4. annis et aliquibus mensibus, obiit vero anno Christi 1293 post quem ad cathedram Petri anno 1294 electus est Coelestinus V. ex ord. S. Benedicti vir sanctus, ad cuius coronationem ultra ducenta millia hominum dicuntur accurrisse. Raro et inaudito exemplo pontificatu se sponte abdicavit et ad Eremum se recepit, multis tam in vita, quam post mortem fulsit miraculis.

Supradictus D. Theodoricus abbas, postquam vnde此 decim pontifices maximos supervixisset, administrationem cum vita posuit 22. Julii.

Floruit temporibus Urbani VI. papae, qui festum corporis Christi instituit, sub quo etiam pontifice floruit docteur Angelicus S. Thomas de Aquino ord. praedicat. et Clementis IV. pontificis maximi Rudolphi I. imperatoris ex comitibus de Habsburg. Engelberti II. Archiepiscopi Coloniensis.

De ejus administratione exstant haec documenta: In nomine Domini. Nos Theodoricus Dei gratia abbas Gladbachensis omnibus innotescimus, quorum scire interest: Cum nos sentiremus post venditionem bonorum super Mosellam, temporibus nostri praedecessoris venditorum, dilectos confratres nostros quodammodo in potu vinorum habere defectum, quod eius instinctu, qui populo sitienti aquam de petra produxit, super eos tanquam afflictos pia gestantes viscera, cum paterna meditatione ipsis ad restaurationem dictorum bonorum venditorum, domum in Bocholtz, cum vineis prouentibus, et omnibus appenditiis, perpetuo libere tradidimus et donauimus, vt ex eis vina recipient ipsis perenniter propinanda. Hanc ergo nostram donationem sub stola et baculo tanquam rationabilem confirmantes, sub anathematis interminatione, districtius inhibemus, ne quis ausu temerario ipsam infringere audeat, vel praesumptione qualibet perpetuo immutare. Actum et datum anno Dominicæ incarnationis 1261 mense martio.

Vniuersis ad quos peruererit praesens scriptum salutem. Nos Sifridus Dominus nobilis de Brule, et omnes nostri posteri et haeredes notum esse volumus, quod Theodoro Dei gratia abbati de Gladbach et cellulæ de Bocholtz vnanimi consensu, libera voluntate, et praecipue propter Deum, haereditarie dedimus, concessimus, resignauimus fluum quendam in prato nostro in via, qua iter Glensse, iuxta latitudinem trium pedum. Ita videlicet, vt anniuersaria matris nostræ, et vxoris nostræ, et omnium nostrorum seniorum, ibidem feliciter requiescentium singulis annis a fratribus ibidem Deo seruientibus in perpetuum peragantur. In huius rei testimonium nostrum sigillum praesentibus est appensum. Actum et datum anno Domini 1266 feria tertia post penthecosten.

Sigillum appensum demonstrat scutum cum quatuor decem (4. 4. 3. 2. 1.) monetis.

In nomine Domini. Ad omnem ambiguitatis scrupulum in posterum euitandum: Nos Theodoricus Dei gratia abbas, ac totus conuentus monasterii de Gladbach ord. S. Benedicti Coloniensis dioecesis, omnibus innotescimus, quorum scire interest praesentium testimonio profitentes, quod ingruente nobis indigentia, ex concordi et vnanimi consilio commisimus et dedimus sub annua pensione Joanni militi de Guntreue aduocato nostro cellam nostram apud Bocholtz Treuerensis diocesis, sicut iacet cum agris, vineis, pratis, censibus, molendino et nemoribus, ac vniuersis ad ipsam cellam de Bocholtz, specificatis ab antiquo, et attinentibus. Ita videlicet, quod praefatam cellam cum attinentibus in suas manus et regimine tenebit, viginti et octo annis continue, et suis sumptibus excolet, quaeque ibidem colenda, et constructa aedificia curtum, et molendini lapsa, seu pro tempore, prout necessitas requisierit, construenda, prouiso eo, quod de fratribus nostri monasterii ibidem tenebit, quatuor personas monachos, quos ibidem vna cum suo consilio decreuerimus collocandos, quibus fratribus promptissime ministrabit suas praebendas ab antiquo ibidem constitutas videlicet 24. maldra siliginis, 12. marcas legalium denariorum colon: et quatuordecim amas vini, et in super superaddet duas amas vini, ad diuinorum indigentiam, et haec de meliori vino, secundum quod vineae ibidem proferunt et caetera ministranda fient de primis et certissimis fructibus et redditibus ipsius cellae remoto omni dolo et contradictione qualibet, seu quoconque casu, infortunis, vel occasione, per quae alicuius cauillationis contradictio aut impedimenti pro traxio suffragari poset memorato militi, seu ipsius vicem pro tempore conseruant: Insuper ad cautelam adiectum est, quod ipsis fratribus cum sua honesta familia, hospitibus et familiaribus liber erit introitus et exitus, et deambulatio, infra terminos et allodia nobis attinentia, tam infra immunitates, quam extra. Praeterea prouide additum est, quod confratres nostri ibidem residentes, officiabunt ecclesiam de Wiler, et ipse Joannes miles

aut suus procurator, ipsam ecclesiam de Wiler nocturno tempore illuminabit lampade condecente, oratorium vero de Bocholtz illuminabit idem miles, tam lampade quam cereis luminaribus, prout necessitas postulat et requirit. Itaque haec interuenit conditio, quod pro decimatione ipsi ecclesiae de Wiler attinente, singulis annis in festo B. Andreae Apostoli, dictus miles, seu procurator suus pastori ipsius ecclesiae sex marcas Colonienses promptissime, et sine contradictione qualibet ministrabit. Et quod medio tempore saepedictus miles nihil iuris aut potestatis habebit in collatione ipsius ecclesiae de Wiler, sed nobis reseruamus, et reseruauimus ius et potestatem si vacauerit, ipsam ecclesiam conferendi. Igitur ut fratres praesentialiter insistant diuinis officiis apud Bocholtz inhibemus districtius, ne se intromittant de regimine alicuius parochialis ecclesiae frequenter praeter Wiler, nisi rogati subueniant alicui sociorum plebanorum in indigentia tempore absentiae sua, aut solemnitatis, si fuerint euocati: Insuper de fratribus additum est, si forsan aliquis fratum, quod absit, inveniretur dissolutus, intollerabilis aut inobediens, quod ad nostrum reuertetur monasterium, et alius de nostro pariter, et ipsius militis consilio magis idoneus, et corrigibilis substituetur, prouiso tamen diligenter eo, si in aliquo casu, plenus numerus quatuor fratrum ibidem non esset, quod tamen nobis stipendium absentis, seu absentium tanquam praesenti, aut praesentibus sine contradictione qualibet ministrabit. Postremum vero additum est, si saepedictus Joannes interim morte praeuentus pro tempore fuerit, quod ipsius vxor relicta, seu ipsius haeredes proximi, in omni conventione, commisso et jure, secundum praenotatam formam, ad terminum annorum praescriptorum firmi et stabiles permanebunt. Ad praecauendum igitur tam nobis quam posteris nostris, sub firma cautione firmatum est, quod elapsis praenotatis viginti et octo annis, dicta cella nostra cum vniuersis attinentibus, prout ipsam dicto Joanni commissimus, soluta ab omni debito et quita remota omni occasione quae contra nos posset praetendi, ad nos et nostrum monasterium libere reuertetur. Ligna etiam siluarum non resecabit, nec resecare faciet, nec distribuet cuiquam, nisi in necessarios vsus structurarum ipsius cellae aut curtium, seu officinarum, prout necessitas postulabit. Caetera in dubio emergentia committimus arbitris ad hoc deputandis cum discretione fideliter et finaliter decidenda. In hujus ergo conuentioneeris robur et testimonium conseruandum, praesentem paginam ipsi Joanni, et suis haeredibus nostris sigillis dedimus comunitam. Actum anno Domini 1270. in purificatione B. Mariac.

Vniuersis tenorem praesentium auditur. Joannes miles dictus de Guntreue aduocatus domus de Bocholtz: Notum esse cupio, quod a viris religiosis abate et conuentu monasterii de Gladbach ordinis S. Benedicti Coloniensis diocesis, recepi sub annua pensione ad viginti et octo annos cellam ipsorum claustralem de Bocholtz, cum vniuersis appenditiis suis, praediis, agris, vineis, et omnibus ad ipsam cellam pertinentibus, ubique iacentibus, ita videlicet, quod meis sumptibus et expensis quaeque ibidem colenda, seu aedificanda, colens aedificabo, construenda construam, ad meos vsus pertinentia, quae omnia meo termino exspirato, adeo bona vel meliora relinquam, quatuorque fratribus monasterii de Gladbach monachis ibidem Domino famulantibus suas praebendas ab antiquo constitutas scilicet viginti et quatuor maldra siliginis Andernacensis mensurae, duodecim marcas, et quatuordecim amas vini, quibus supradictis duas amas de Lutzink vinearum ipsius domus, et de certissimis redditibus ministrabo, non obstante qualibet occasione, dolo, seu euentu cuiuslibet infortunii, incendii, grandinis, exercitus, aut quocunque casu inopinato, quem praetendere possem, contra praedictos confratres ad administrationem huiusmodi detinendam. Non obstante insuper, si plenus numerus quatuor fratrum ibidem non fuerit pro tempore. Tamen siue plures siue pauciores ibidem fuerint, prenominationem stipendorum summam, quatuor personarum abbati, vel cuicunque ipse demonstrauerit, plenius ministrabo, et vt dictum est aedificanda aedificabo, et construenda construam, exceptis oratoriis et claustralibus officinis: qui confratres officiabunt ecclesiam de Wiler, nec alias plures, et ego ipsam ecclesiam illuminabo nocturno tempore, lampade condecente, oratorium vero de Bocholtz illuminabo tam lampade, quam cereis luminaribus, prout necessitas postulabit. Insuper pastori ecclesiae de Wiler singulis annis in festo B. Andreae apostoli sex marcas pro decima ipsius ecclesiae promptissime ministrabo, et has Priori ipsius cellulae praesentabo. Item profiteor me nihil juris habere medio tempore in collatione seu presentatione dictae ecclesiae de Wiler, sed abbas ipsam vacantem conferre poterit libere cuicunque. Item inter nos ordinatum assero, quod abbas vna cum meo consilio viros honestos ibidem et modestos, quorum si qui viderentur incompositi, aut inobedientes, quod reuocatis illis de prioris domus ipsius consilio pariter et meo nutu alii statuentur. Praeterea ligna nemorum, nemini distribuam, nec resecabo, nec resecari faciam, nisi ad structuram curtium et officinarum ipsius cellae, prout necessitas postulabit; sed saluum erit fratribus secundum consilium Prioris pro sua necessitatibus indigentia, ligna ipsius nemoris resecandi: Insuper interposita est haec conditio, si forsan ego medio tempore morte praeuentus fuero, quod absit, vxor mea et haeredes mei proximi in omni jure et conuentione inter nos facta, secundum praenominata formam inter nos factam ad terminum annorum praescriptorum firmi et stabiles permanebunt. Elapsis vero praenominatis viginti et octo annis, praedicta cella de Bocholtz cum vniuersis pertinentiis prout mihi commissa et assignata est, cum omni integritate, et non dissipata, quieta ab omni debito et soluta, non obstante qualibet occasione, ac contradictione, quam tunc possem praetendere, ad abbatem et conventum monasterii de Gladbach libere reuertetur.

In cuius rei testimonium praesentem paginam sigillo venerabilis viri Domini Theodorici abbatis de Lacu vna cum sigillo Nicolai Plebanide Lutzinek, Theodorici Burggraui de Rincke, et Theodorici aduocati de Eysse rogaui firmiter communiri. Nos itaque praenominati ad petitionem ipsius Joannis militis de Guntreue, sigilla nostra praesentibus in testimonium duximus apponenda. Actum et datum anno Domini 1270 in purificatione B. Mariae V. numero incarnationis inchoante in annuntiatione dominica: Caetera vero non notata si aliqua in dubio emerserint, arbitris ad hoc deputandis committo discretione fideliter et finaliter decidenda.

Theodericus de Rhenicke sigillabat cum scuto transverse secto, in parte inferiori cum lingutatis tesellis ornato.

Nos Joannes de Reinecke praepositus ecclesiarum S. Mariae ad gradus in Colonia, sanctique Florini in Confluentia & tenore praesentium publice protestamur, quod cum viri ven. Th. Dei gratia abbas et conuentus monasterii in Gladbach, familiaritatis nostrae causa, ac spe promotionis futurae, locum ad aedificandum mansionem nobis competentem in cella sua in Bocholtz nobis beneuole concessissent quam aedificare nos astringimus de lignis nemoris dictae cellae, nostris laboribus et expensis, qua constructa in ipsa locabimus, et reponemus nobis, nostraque beneplacitae voluntati, et vsui, haec et alia, quoquaque nomine censeantur, que pro tempore placuerint vitae nostrae: ac pro recompensatione dictarum aedificationum pro vtilitate Ecclesiae suae factarum, nos in confratrem sui monasterii aequanimiter receperunt, et nos vice versa vtilitati, promotioni, et defensioni dictorum abbatis et conuentus et sibi attinentium instabimus et studebimus incessanter, ne eos poeniteat beneficii nobis facti. Nobis autem sublato de huius saeculi ergastulo, pro remedio animae nostrae dicta mansio cum omnibus suis vtilitatibus, structura, suppellectili et caeteris in ea existentibus siue paucis, siue pluribus, postposito omni dolo, et exceptione sub dolo, pro puro testamento dictae ecclesiae remanebunt, salvo tamen nobis, si placuerit, augendi huiusmodi testamentum, nullatenus minuendi, et huiusmodi beneficii violationem, nulli amicorum, consanguineorum, et familiarium nostrorum seu quacunque propinquitatis linea junctorum praesentium, seu futurorum liceat attentare. Praeterea iidem abbas et conuentus monasterii praedicti, nostras per omnia quasi confratum eius agent exequias, cum omni solemnitate debita pariter et consueta. Ne autem de praemissis dubii et altercationis scrupulus oriatur in posterum inter partes et ne executio nostri testamenti, et dictorum beneficii recordatio sopiaatur, praesens instrumentum fecimus communiri sigillis ven: virorum domini B. dei gratia Treverorum archiepiscopi, et d. Th. abbatis de Lacu, nostro, Sifridi nobilis de Brule, et Joannis nepotis nostri burggraui pro tempore qui instanter apponi rogamas et rogauiimus huic scripto, Et nos iam dicti archiepiscopus Treu: abbas et caeteri huiusmodi laudabile propositum impedire nolentes sigilla nostra ad preces partium apposuimus huic scripto. Actum et datum in vigilia b. Matthiae apost. anno 1291.

Sigilla Sifridi de Brule et Johani de Rinecke habent formas ante (1266 & 1270) descriptas.

## D. Wilhelmus.

Abbas XXII.



Wilhelmus fasces tenuit anno 1304 uti inter alia adstruitur tabulis (eas archivium diligenter asservat) quibus Walramus comes de Kessel recognoscit, se injusto modo (notent posteri) telonium in proprietate sancti Viti constituisse, illudque aeternaliter reuocat, et culpam deprecatur, largaque eleemosyna expiat.

Tenor litterarum comitis de Kessel.

Nos Walramus de Kessele et Dominus in Bruche, universis tam praesentibus, quam futuris, quibus praesens scriptum videre contigerit salutem, et agnoscere rei veritatem. Hinc est quod confitemur et protestamur in his scriptis, quod telonium in parochia nostra de Gladebacho in proprietate Beati Viti martyris injusto modo constituimus, ac ibidem injuriose et non rito modo recepimus. Ob quam rem dictum telonium aeternaliter reuocamus, dictum vero D. Wilhelmu abbatem ejusdem loci cum omnibus monachis suis universis humiliter exhortamus et deprecamur, ut Dei intuitu et amore virginis Mariae de omni injuria et damno per nos eis illato, pura corde et mente effestucare velint. Item mansionem ibidem per nos factam in manus vestras resignamus et supportamus, ut post nostrum obitum, cum eadem mansione, quia non rito modo dictam mansionem in vestro puro allodio nos noscimus possidere, igitur omnia quaecunque vestrae placuerint voluntati, cum dicta mansione poteritis adimplere. Item proximam domum dictae mansioni coadjacentem, quam rationabiliter pro nostra pecunia comparavimus beato vito vna cum omni nostro in parochia de Gladbach situato, et nobis in divisione palidis per parochianos ibidem

dato beato Vito Martiri ac suis monachis animo benevolo legauimus atque legamus in remissionem omnium peccatorum nostrorum. Actum et factum et constitutum in castro de Bruckgen in praesentia Catharinae uxoris nostrae legitimae ac fratris Joannis prioris in Bruckgen religiosi viri testamentarii nostri, Joannis pastoris in Alderode consanguini nostri, Petri notarii de Gladbacho. Anno domini millesimo trecentesimo quarto, in die Lucae euangelistae.


Claruit sub Clemente V. pontifice maximo. Alberto imperatore. Henrico II. archiepiscopo Coloniensi.

Ipsius abbatis temporibus dedit Balduinus cellulae Bocholtz sequens in corporationis instrumentum.

Balduinus dei gratia s. Treuerensis ecclesiae archiepiscopus, sacri imperii per Galliam archicancellarius uniuersis Christi fidelibus, ad quos praeiens scriptum peruenerit in perpetuum salutem cum notitia veritatis. Eius intuitu et respectu, qui nos ad pontificalis dignitatis apicem sublimauit, tanto vigilantius viros religiosos promouere, fouere, ac defensare tenemur, quanto gratius obsequium in religionis obseruantia, et rigore ecclesiasticae disciplinae, creatori omnium exhibitur. Cum igitur ecclesiae seu cellae de Bocholtz nostrae diocesis ordinis. Benedicti, aedificia et officinae fratrum in ea domino famulantum, propter vetustatem adeo collapsae sint, quod per dictos fratres restaurari non valeant, cum ipsis ad restaurationem eorundem ipsius ecclesiae seu cellae non suppetant facultates et ad hoc labor sit necessarius sumptuosus. Nos ipsorum fratrum necessitatibus et inopiae pio ac paterno condolentes affectu, ad supplicationem abbatis et conuentus monasterii s. viti Gladbachensis coloniensis diocesis ordinis supradicti et eorundem fratrum duximus concedendum, et concedimus in his scriptis, ut ecclesia de Weiler parochialis cuius collatio ad dictos abbatem et conuentum pleno iure pertinere dinoscitur, cum vacauerit, ad reparationem dictae fabricae, dictae ecclesiae redditus cedant eisdem fratribus, in supplementum defectus stipendorum suorum. Ita tamen, quod dictus abbas, unam de conuentu suo, seu dictae cellae, personam idoneam ad curam animarum dictae ecclesiae recipiendam, pro investito praesentet nobis, et archidiacono loci illius: Quae tam nobis, quam eidem archidiacono, decano et aliis, quibus quicquam iuris debet de ipsa ecclesia respondere et sufficere valeat competenter, et eandem debite officiet in diuinis. Ut igitur haec nostra concessio seu gratia rata permaneat, et in perpetuum inconuulsa praesentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Datum Palaciol. die 29. May anno domini 1320.

## D. Otto de Matlar.


A b b a s XXIII.



Otto licet in syllabo abbatum locum non acceperit, fas tamen est, eum illi tribuere, et credere fuisse abbatem huius loci, quia scabini Kempenses tabulis anno 1309 conscriptis et 4 sigillis munitis, quibus debitum quoddam ab hoc Ottone et conventu exigunt, abbatis titulo eum afficiunt. Sunt et aliae rationes, quibus id similiter evincitur.

**D. Wilhelmus de Helpenstein.**

Abbas XXIV.



ilhelmus praefeturam anno 1311 et sequentibus gessit reique familiari bene consuluit, cuius indicia sunt plura. Quae emit ac redemit bona in archivii tabulis relata inter alia autem curtis de Beeckhausen nunc Knauffshoff dicta, quae olim tantum modo uti feudum masculinum ad abbatiam spectabat, nunc possessione totali cum omnibus aliis pascuisque monasterio accessit anno 1315. Eo autem profecturam obeunte inter alios vixerunt hi fratres

Goswinus prior.

Daniel a Nivenheim qui obiit anno 1318.

Wilhelmus de Oranien qui huic abbati  
successit in officio.

Godefridus de Nuscia qui obiit anno 1326.

Joannes de Heidhausen.

Gerardus de Knode prouisor in Bocholz.

Theodericus pastor in Wyler.

Tempore huius abbatis, seruatum est a Clemente V. concilium Vinnense, in quo sententia de extinctione templariorum lata est, quorum ordo penitus extinctus est.

Praedictus D. Wilhelmus de Helpenstein praefectura tandem abiens ad umbras concessit anno 1334 18. septembbris.

Sub hoc quoque abbatie comitibus de Kessel heredibusque extinctis, jus advocatiae ad comites julianenses devenit; huius abbatis sedulitate emanavit priuilegium comitis juliacensis quod omnes subditi Gladbachenses non extra sed intra territorium Gladbacense molere debeant, de anno 1325, sub certa mulcta videlicet sex solidorum, quae postmodum per confirmationem eiusdem priuilegii per juliae ducem Wilhelmm 1581 1. februarii tempore abbatis Jacobi ab Heggen in duplum videlicet 12 solidorum adaucta est.

Anno 13, a Joanne XXI. primo statutum est, ut tertio per diem daretur signum Angelicum.

Floruit sub Joanne XXI et XXII pontificibus maximis. Henrico VII. imperatore. Henrico II. archiepiscopo colonensi.

Suis temporibus acquisivit cellula Bocholtz quasdam redditus in Orweiler, de quibus haec litterae:

Vniuersis praesentes literas visuris et audituris. Nos Rodegerus de Kelle et Catharina filia quondam Volcmari de Weiler vxor eiusdem Rodegeri, notum facimus recognoscentes, quod concorditer vendidimus et vendimus per praesentes honorabilibus viris, et religiosis dominis abbatii et conuentui monasterii in Gladebach prope Nussiam coloniensis diocesis ordinis s. Benedicti iusto venditionis titulo ementibus octo solidos quinque denarios et septem pullos, annui census, jure hereditario possidendos et singulis annis in festo beati Martini episcopi hyemalis persoluendos eisdem, pro quadam certa pecuniae summa, qua nobis suffecit, ab eisdem religiosis personis tradita, nobis persoluta, et ad usus nostros necessarios peruenta. Quos quidem octo solidos, quinque denarios Andernacensis paymenti, et septem pullos praenominatos, eisdem religiosis personis assignauimus capiendos, et praesentibus assignamus supra domum nostram, et hortum ad dictam domum spectantem sitam in Orweiler, nec non supra alium hortum situm ibidem, quam quidem domum et ambos hortos, cum omnibus eorum bonis, et pendentiis et juribus quibuscumque ad dictos duos hortos, et domum spectantibus, cuiuscunque generis existant pro praemissis de consensu et libera voluntate nobilium virorum Sifridi et Conradi eius consanguinei de Burgbrule armigerorum, a quibus dicta bona tanquam a dominis fundi descendunt et dependent, ore, et calamo, titulo pignoris obligauimus et supraportauimus, obligamus et supraportamus libere et absolute eisdem religiosis personis in hunc modum, quod si nos deficeremus, vel nostri haeredes aut alii quicunque dictum pignus in posterum possidentes in solutione dicti annui census, termino deficerent praenotato, quod extunc dicti religiosi viri possunt se licite in dicto pignore pro praemissis sine contradictione qualibet recuperare: quod nos coniuges antedicti eligimus et acceptamus, promittentes in his scriptis praefatis religiosis personis facere Warandiam, quod vulgarie dicitur gewerschafft de dictis bonis, per integrum annum et diem, et est moris, et quod dicti Sifridus et Conradus nihil juris ex nunc habebunt in bonis memoratis; quod nos Sifridus et Conradus saepedicti recognoscimus fore verum et praemissa de nostro processisse consensu et ea dolo, et fraude exclusis, inviolabiliter obseruare, promittentes et renunciantes etiam omnibus iuribus cuiuscunque generis existant, quae nos Sifridus et Conradus in bonis habebamus

eisdem: ita quod dictae religiosae personae eisdem bonis et iuribus corundem vniuersis et singulis, quibus nos Sifridus et Conradus praelibati gaudere consueimus, seu solebamus, gaudebunt in futurum, et quod dicta bona ex nunc a dictis religiosis personis tanquam a dominis fundi descendedent et dependebunt in aeum. In cuius rei testimonium nos Sifridus et Conradus armigeri praenominati, duximus nostra propria sigilla ad preces dictorum coniugum, et ex nostra certa scientia, literis praesentibus apponenda. Quod nos coniuges antedicti recognoscimus fore verum. Actum praesentibus viris discretis dominis Gerhardo dicto Knode prouisore cellae de Bocholtz spectantis ad dictum monasterium, et Theoderico pastore ecclesiae in Weiler monachis dicti ordinis sancti Benedicti, Nicolao Plebano in Cisse, Petro Plebano in Burghbrule sacerdotibus, nec non Theoderico dicto de Leie armigero, Gobelino scabino in Weiler, Joanne dicto sturm et Joanne filio Euerhardi laicis de Weiler testibus ad praemissa vocatis. Et actum anno domini millesimo trecentesimo, tricesimo sabbatho post festum beati Nicolai episcopi.

Sigilla duo, quae dependent, habent formam superius ad annum 1266 descriptam, quatuordecim scilicet monetas.

Sub hoc abate, anno 1315, inter ipsum et conveniales monasterii proventus aeternaliter dividebantur; diploma vide in appendice.

### D. Wilhelmus de Oranien.

Abbas XXV.



ui e loco prioris anno 1334 in Abbatis gradum sublatus rebus incumbere coepit cum non vulgari et disciplinae et substantiae monasticae incremento, praeter enim varia et multa, quibus oeconomiam insigniter auxit, plura quoque ad disciplinae stabilimentum regulariter ordinavit, labentes mores gnauiter correxit, et signanter curam infirmorum ad rectitudinis regularis normam reuocavit. Eo autem rebus incumbente nominationes hi subfuere fratres

Giselbertus de Wels qui postea in abbatiali onere successit.

Christianus de Huckelhoven pastor Gladbacensis.

Engelbertus pastor Dulckensis

Henricus de Wilcke pastor Kempensis.

Joannes praepositus in novo opere.

Christianus de Sinsich praepositus in Bocholtz.

Conradus de Nersa.

Hermannus de Nivenheim.

Petrus de Loevenich.

Fridericus de Oppendorff.

Godefridus de Vlecke.

Hermannus de Echt.


Praefatus autem abbas gradum, postquam annis fere 32 tenuisset, tandem cum vita reliquit anno 1366, 10. Aprilis.

Praefuit sub Clemente VI. pontifice maximo ex ord. s. Benedicti. Ludovico IV. imperatore. Walramo de Juliaco I. U. Licentiato archiepiscopo Coloniensi.

Tempore huius abbatis videlicet 1339 comes Geldriae titulo ducis, et comes juliacensis titulo marchionis decorati sunt. Anno 1356 marchio Juliacensis Ducali quoque honore insignitus est a Carolo quarto imperatore.

## D. Giselbertus de Wels.

Abbas XXVI.



Giselbertus oneri supposuit humeros anno 1366 et praeclaras monasterio possesiones (quas inter praecipuas molendinum then rade et curtis in Waldhaussen sita vulgo der Charmans-hoff) acquisivit.

Vixit temporibus Urbani V. pontificis maximi ex ord. s. Benedicti. Caroli IV. imperatoris. Engelberti III. archiepiscopi Coloniensis.

Anno 1371 creavit Christianum de Sinsig in praepositum Bocholtanum de quibus haec literae

Nos Giselbertus diuina prouidentia abbas monasterii Glabacensis ord. s. Benedicti, notum facimus vniuersis, quod nos respicientes nostram, ac nostri conuentus vtilitatem, bona deliberatione praehabita, ordinauimus, et constituimus, praesentibusque ordinamus Christianum de Sinsich, nostrum commonachum, ac confratrem dilectum, in verum praepositum et prouisorem cellae nostrae in Bolcholtz usque ad terminum vitae suae; sic quod ab omni iidem disponenda et regenda, expositione, receptione, seu quoquis alio ordinationis modo hoc fuerit, fideliter nobis, via qua poterit saniori faciet et expediet; tali conditione media: quod si per dictum Christianum in prouisione dictae cellae aliquam fieri contigerit expositionem, pro nostra ac nostri conuentus vtilitate: de illa semper vna secum veram computationem et taxationem fieri velimus et optamus, consilio nostri conuentus meliori procedente ante tempus autumnale: sic quod singula et vniuersa per ipsum D. Christianum exposita, libere et solute sibi reddentur et integre persoluentur. Quod si securus egerimus et praefato christiano iusta non fuerit facta solutio: extunc idem Christianus manum suam ponere poterit, ad vina nobis et conuentui nostro de dicta cella prouenientia, tot, et tanta, de eis deuendendo, secundum quod sua exposita se extenderint, nostra ac nostri conuentus contradictione non obstante: dolo quoquis in praedictis penitus excluso. In cuius rei testimonium nos Giselbertus abbas praefati pro nobis et nostro conuentu sigillum nostrum literis praesentibus duximus apponendum. Datum anno domini 1371. ipso die Martini hyemalis.

Dictus Christianus resignavit 1395 in die s. Dionisii ad manus abbatis.

Fratres dum hic abbas praesideret hi inter plures nominabantur praecipui.

Sibertus de Beeck prior qui obiit anno 1417.

Bernardus de Dirisch.

enricus de Troisdorff pastor Gladbacensis qui obiit anno 1405.

Georgius de Linnich.

Gerardus Rouver de Weuelinghoven.

Joannnes de Zoppenbroch qui obiit praepositus in Bocholtz anno 1420.

Joannes de Troisdorff, qui dignitatem abbatialem post eum exceptit

Wilhelmus Rouver de Weelinghoven qui secundus post eum abbas huius loci fuit.

Georgius de Wels qui obiit pastor Dulckensis anno 1430.

Theodorus Ducker ab Huls, qui anno 1418 Prioris, anno 1422: Praepositi in Bocholtz, et anno 1437 pastoris Dulckensis officia successiue gessit.

Adamus de Beecke.

Tempore praedicti D. Giselberti Weltz videlicet anno 1366. tanta creuit vini abundantia, ut plaustrum vini pro 4 florenis venderetur, imo quod maius est, qui adferebat vas proprium, illud replebatur vino pro uno floreno. Anno 1369 maxima dissentio fuit inter cives Colonienses et clerum, ita ut clerus cum omnibus suis plus quam per annum et dimidium civitatem relinquens, diversis in pagis, castris et oppidis sit moratus. Anno 1374 mensibus Januario et Februario maximum extitit diluvium aquarum in diversis regionibus, Rhenus namque ultra cursum solitum ad mensuram 34 pedum in altum excreuit ad stuporem omnium hominum; hinc supplicationes publice cum devotissima Lytaniarum decantatione a Clero Coloniensi indictae sunt, donec 10. Februarii habita solenni processione et peracto missae sacrificio inundatio aquarum decrescere coepit. Anno 1376 monasterium Tuitiense ordinis nostri a Coloniensibus combustum fuit, propter quod ipsa civitas per octo annos excommunicationi subjacuit, nullusque infans illo tempore in eadem urbe baptismum accepit. Ea tempestate corpus s. Heriberti archiepiscopi Coloniensis cum caeteris reliquiis eiusdem monasterii ad monasterium Siebergense translatum est, ubi tam diu permanxit, donec Colonienses per summum pontificem jussi et coacti monasterium Tuitiense restaurassent.

Dictus autem abbas, postquam boni pastoris et oeconomi munere annis fere 32 sedulo perfunctus esset, onus et vitam posuit anno 1398 16. Martii.

Hisce temporibus in Anglia Joannes Wiclef jam in apertum prodiens haeresiarcha venena in ecclesia Romana spargere coepit: inter alia falsa dogmata praecipuum fuit, quod in sacramento Eucharistiae post consecrationem non sit verum corpus Christi sed eius figura.

**D. Joannes de Troistorff.**

A b b a s XXVII.



oannes ad clauum abbatialem auctoratus anno 1398 plura rei domesticae utiliter administratae posteris reliquit monumenta. Inter quae curtis ahn dem Venn vulgo der hermbges hoff, maximum quoque ecclesiae nostrae aes campanum, eius nomen inscriptum continet cum his versibus:

Quando Maria sonat, tempestas undique cessat  
Anno milleno C quater, quin quoque deno  
Joannis abbas humilis de Troistorff me fecit.

Fratres eo ad clavum sequente hi alios inter fuere celebriores.

|  |  |
|--|--|
| Wilhelmus de Juliaco, qui post abbatem hunc administrationem huius monasterii suscepit | Elbertus de Eyle magister culinae.         |
| Petrus de Kettenis, qui obiit Prior anno 1424.   | Joannes de Harken praepositus in Bocholtz. |
|  | Joannes de Lyskirchen pastor Kempensis.    |

Huius abatis tempore anno videlicet 1409 a cardinalibus servatum est concilium pisanum, ob schisma duorum electorum pontificium Innocentii videlicet VIII. et Gregorii XI.: in quo, deposito utroque electus est Alexander V. ex ord. s. Francisei.

Abbas XXXVII in reformatione VI. electus anno 1592, 15. Decembris.



theoderico abbatiam tenente

#### Professi.

|                                  |  |
|----------------------------------|--|
| F. Joannes Hoeueler Venlonensis  | 1595. F. Hilgerus Vitenius Dahlensis postea  |
| F. Martinus Wipperfurtensis      | 1595. ex priore hujus monasterii factus car- |
| F. Jacobus Wimmers coloniensis   | 1597. thusianus 1598.                        |
| F. Joannes Köpges ex Titz        | 1598. F. Joannes Appeldorn coloniensis 1598. |
| F. Conradus Berghoff coloniensis | 1598. F. Petrus Sittardiensis 1600.          |

#### Defuncti.

|                                     |   |
|-------------------------------------|---|
| P. Adamus Kribs magister nouitorum  | 1596. P. Henricus Wels praepositus in Bocholz 1591. |
| P. Petrus Lind sacerdos et monachus | 1597. P. Joannes Hoeueler.                          |

Abbas iste in Dahlen oppido ducatus juliacensis natus, vir fuit, in quo eximius animi candor et pietas morum suauitas, vitaque sanctitas deo grata omnibus nota. antagonistis etiam comprobata enituit, qui sacra aedificia ad dei sanctorumque gloriam singulariter cordi et curae habuit, oves seu animas sibi commissas non pede tantum et potestate ursit, sed pedibus et nocturna et diurna non tam accedendo, quam praecedendo, postea quam provide sibi monumentum, in quo ejus, quod mortale erat, in beatae reparationis spem concretur fieri curasset, e tanto vitae suae splendore ad mortis umbras praemature nimis concessit. Anno Christi 1600, 29. Decembris regiminis 8. aetatis 38. viri tanti laudes fusius prosequitur Epicedion defuneto id temporis inscriptum, quod inter alia haec habet.

Sic fuit in fatis haec est mutatio rerum.  
 Qui domino charus vult deus esse suum.  
 In pietate parem vix saecula multa tulerunt,  
 Ordinis exemplar, stella, decusque sui.  
 Lunen erat cleri, praelatos inter ut astra  
 Lucifer excellens, in precibusque frequens.  
 Plurima restituit, spartam diligenter adorans  
 Summa monasterii commoda semper amans.

### **Reuerendissimus Arnoldus ab Huckelhoven.**

Abbas XXXVIII in reformatione VII. electus anno 1601, 3 Januarii.



rnoldo praesidente

Professi.

|                                      |       |  |       |
|--------------------------------------|-------|--|-------|
| F. Bartholomaeus Kempis Gladbacensis | 1601. | F. Theodericus ab Horrich Gangeltensis | 1601. |
| F. Godefridus Kempens Coloniensis    | 1602. | F. Joannes Honsen ex Greuenbroch       | 1610. |
| F. Albertus Brigeltus Cruchtensis    | 1603. | F. Petrus Sybenius Dahlensis           | 1615. |
| F. Friedericus Bocholz Coloniensis   | 1604. | F. Martinus Karckens Virsensis         | 1617. |
| F. Hermannus Hulsen Dahlensis        | 1604. | F. Petrus Zoutland Ruremundanus        | 1618. |
| F. Joannes a Ryswick Kranenburgensis | 1605. | F. Joannes Eschweiler Coloniensis      | 1618. |
| F. Henricus Goirmans Venradensis     | 1605. | F. Laurentius Siccklerus Coloniensis   | 1619. |

Defuncti.

|  |       |
|--|-------|
| P. Jacobus Wimmers sacerd. et monachus       | 1602. |
| P. Petrus Sittardiensis magister nouitiorum  | 1606. |
| P. Henricus Geneden sacerdos et monachus     | 1607. |
| P. Joannes Butgen confessarius Konigsdorff   | 1607. |
| P. Conradus Berghoff sacerd. et monachus     | 1615. |
| P. Hermannus Hulsen prior                    | 1615. |
| P. Martinus Brabach confessarius Konigsdorff | 1615. |
| P. Wolfgangus Plonis pastor Dulckensis       | 1618. |

Tandem et reuerendissimus dominus Arnoldus ab Huckelhoven abbas postquam anno 1601, 23. Januarii electus in abbatem praefuisset annis fere 19. obiit anno 1619, 22. Octobris. sepultus in sacello s. Stephani ad sinistram.

Dum abbatiam administraret omnem diligentiam ad ejus tam in spiritualibus quam temporalibus incrementa convertit, summis viribus libertatem ac jura defendit, fratrumque studia magnis impendiis promovit.

Defuncto Poeta hoc condidit epitaphium.


Hic virtute nitens, hic claro sanguine natus  
 Claustrum certa salus auxiliumque fuit.  
 Jura monasterii sedulo sacrata tuerit,  
 Ipsius hinc subiit dira procella caput.  
 Calviniana lues prima serpebat in urbem  
 Protinus expelli noxia quaeque facit.  
 Mittit agrippinam fratres, haec una voluptas  
 In sophiae studiis exceluisse suos

Talibus intentus studiis dum lenitor aevum  
Dicit, eum subito mors inopina rapit.

Hujus abbatis tempore ecclesiam romanam administravit Paulus V., cuius sollicitudine et S. Francisci de Sales auxilio septuaginta duo mille homines ad catholicam fidem conuersi sunt, sub hoc quoque pontifice vixit celeberrimus et doctissimus Cardinalis Robertus Bellarminus multis scriptis libris clarus.

### Reuerendissimus D. Henricus Goirmans.

Abbas XXXVIII in reformatio VIII. electus 1619, 24. Octobris.



#### enrico regente

|                                      | Professi.                                 |       |
|--------------------------------------|---|-------|
| F. Thomas Knauff Effliensis          | 1621. F. Wilhelmus Holz Coloniensis       | 1628. |
| F. Jacobus Hilleportz Kempensis      | 1622. F. Theodorus Now Kempensis          | 1628. |
| F. Joannes Quirinarius Sittardiensis | 1622. F. Simon Stolsberg Coloniensis      | 1629. |
| F. Matthias Pons Marcoduranus        | 1626. F. Theodorus Cornelii Gladbacensis  | 1629. |
| F. Edmundus Hermanni Heinsbergensis  | 1626. F. Joannes Zimmerman Coloniensis    | 1629. |
| F. Andreas Bischoffs Kempensis       | 1627. F. Gerhardus Gumpertz Noveensiensis | 1630. |
| F. Joachimus Draeck Kempensis        | 1627. F. Georgius Heister Juliacensis     | 1633. |

#### Defuncti.

|  |   |       |
|--|---|-------|
| P. Reinerus Bex pastor Kempensis         | 1619. P. Bartholomaeus Kempis prior             | 1625. |
| P. Petrus Zautland diaconus              | 1624. P. Joannes Quirinarius sacerd. et monach. | 1628. |
| P. Frideric. Placopeus pastor Vorstensis | 1624. P. Joannes Appeldorn sacrista             | 1628. |
| P. Joannes a Ryswick pastor Dulckenensis | 1625. P. Martinus Wipperfurtensis cantor        | 1632. |

|   |  |       |
|---|--|-------|
| P. Stephanus Cruchtanus prepositus in Bocholz | 1634. P. Jacobus Hilleportz sacerdos et monachus | 1634. |
| P. Joannes Zimmerman sacerdos et monachus     | 1634. P. Laurentius Siecklerus quondam prior     | 1635. |

Praenominatus abbas postquam anno 1619 monasterii praefecturam adiisset ac annis 15. tenuisset, eandem deo vocante depositus anno 1635. 22. Octobr. aetatis 53. Ecclesiae dum viueret rerumque sacrarum ornatum singulari cura complectebatur: abbatiae jura strenue propugnauit: usum mitrae sibi suisque successoribus a pontifice maximo Vrbano octavo 1626 impetravit et in rebus quibusdam tractandis dirigendisque prudentiae ac dexteritatis plura dedit documenta.

#### Defunctum his versibus celebrauit poetæ


Hæce sepulchra tegunt venerandi præsulis ossa,  
Qui celebris fama magnus honore fuit.  
Si fortasse petis, quis præsul, quive vocetur,  
Nomen habent aerae, nomen amictus habet.  
Ille decus templi, cultor tutela, leuamen,  
Acceptus populo principibusque viris,  
Invida cui longum, si viuere fata dedissent,  
Plurima pulsa forent postoritate mala.  
Sed caleanda semel via lethi est, gratia, fama  
Nil laudes, nil opes, nil juvat aura levis.

Ad hunc abbatem anno 1626, 21. Febr. scripsit ultimo Isabella Eugenia Gubernatrix Belgii pro habendo capite S. Laurentii, et ex post nullae amplius reperiuntur factae instantiae: gratia et ope divina retiuuit abbatia et adhuc dum habet preciosissimum hunc thesaurum.

Tempore hujus abbatis a Gregorio XV institutum est festum immaculatae conceptionis, et in numerum sanctorum relati sunt ex societate Jesu. Ignatius et Xauerius, item ex ordine S. Francisci Petrus de Alcantara.

## Reuerendissimus D. Petrus Sybenius.

Abbas XXXX et in reformatione IX. electus anno 1635, 27. Octobris.



ub ejus regime

### Professi.

|                                     | Anno aetatis<br>domini sueae. |                                      | Anno aetate<br>domine sueae. |
|-------------------------------------|-------------------------------|--------------------------------------|------------------------------|
| F. Benedictus Stam Nouesiensis      | 1636. 22.                     | F. Bartholomaeus Bruis Viresensis    | 1643. 33.                    |
| F. Maurus Cremerius Vrdingensis     | 1636. 22.                     | F. Conradus Nigenius Viresensis      | 1644. 21.                    |
| F. Sandrardus Kremers Daventriensis | 1637. 23.                     | F. Modestus Sels Gladbacensis        | 1645. 21.                    |
| F. Petrus Berg Coloniensis          | 1637. 21.                     | F. Edmundus Setterich Settriensis    | 1646. 22.                    |
| F. Albericus Gangelt Ruremundanus   | 1638. 25.                     | F. Henricus Boelen Altiorffensis     | 1646. 26.                    |
| F. Plaudus Meerfeld Juliacensis     | 1638. 21.                     | F. Petrus Huls Coloniensis           | 1648. 19.                    |
| F. Bruno Charmans Gladbacensis      | 1638. 19.                     | F. Ludolphus Steingens Kempensis     | 1648. 20.                    |
| F. Anselmus Genneper Vorstensis     | 1639. 21.                     | F. Hermannus Packenius               | 1649. 28.                    |
| F. Vitus Fitzius Gladbacensis       | 1640. 23.                     | F. Augustinus Lefebue Venlonensis    | 1649. 18.                    |
| F. Sigismundus Huisken Kempensis    | 1641. 21.                     | F. Ambrosius Steingens Kempensis     | 1651. 20.                    |
| F. Gregorius Nagels Sittardiensis   | 1651. 32.                     | F. Placidus Hillebrinck Viresensis   | 1658. 19.                    |
| F. Hieronymus Cleven Falcomontensis | 1651. 23.                     | F. Wolphelmus Sittart Dahlensis      | 1658. 19.                    |
| F. Laurentius Drift Venlocensis     | 1651. 19.                     | F. Maurus Hensen Dulckensis          | 1658. 20.                    |
| F. Romualdus Calmont Gissensis      | 1655. 21.                     | F. Odo Keutenbrewer Aquensis         | 1658. 20.                    |
| F. Otto Umlauff Juliacensis         | 1655. 25.                     | F. Quirinus Hulsen Dahlensis         | 1658. 23.                    |
| F. Carolus Linnich Kempensis        | 1655. 20.                     | F. Bonifacius Steinartz Gladbacensis | 1658. 17.                    |
| F. Sandrardus Keuth Viresensis      | 1655. 20.                     | F. Vitus ab Imsteradt Coloniensis    | 1659. 23.                    |
| F. Anselmus Tergaten Juliacensis    | 1656. 19.                     | F. Seruatus Endepoell Gladbacensis   | 1659. 32.                    |
| F. Philippus Heiden Anradiensis     | 1656. 21.                     | F. Justinus Muller Coloniensis       | 1659. 23.                    |

### Defuncti.

|   |                 |  |                 |
|---|-----------------|--|-----------------|
| F. Georgius Heister subdiaconus                                     | 25. Junii 1636. | P. Andreas Bischoffs pastor Kempensis  |                 |
| P. Frideric. Bocholz pastor Glad-<br>bacensis                       | 22. Aug. 1636.  | a latronibus, cum Coloniam pergeret,<br>misere trucidatus                    | 24. Nov. 1646.  |
| F. Stephanus Bongart novitus  | 11. Oct. 1636.  | P. Simon Stolsberg confessarius in Ko-<br>nigsdorff                          | 5. Nov. 1649.   |
| P. Thomas Knauff sacerd. et monachus                                | 1. Nov. 1636.   | P. Petrus Berg sacerdos et monachus  | 10. Mart. 1653. |
| P. Joannes Kopges cellarius   | 23. Febr. 1637. | P. Edmundus Hermanni pastor Dulcken-<br>sis et decanus concilii Suchtelensis | 15. Apr. 1653.  |
| F. Petrus Meull novitus   | 27. Junii 1637. | P. Martinus Karckens cantor  | 24. Apr. 1653.  |
| P. Theodorus Horrich sacrista                                       | 8. Junii 1638.  | P. Maurus Cremerius pastor in Vorst  | 10. Dec. 1653.  |
| P. Henricus Beuolgem magister nouitio-<br>rum professus in Leisborn | 15. Sept. 1638. | P. Placidus Meerfeld confessarius in Ko-<br>nigsdorff                        | 31. Sept. 1664. |
| P. Gerhardus Khamis senior  | 24. Maii 1641.  | P. Henricus Boden sacerd. et monachus  | 16. Dec. 1656.  |
| P. Wilh. Holz praepositus in Bocholz                                | 26. Julii 1642. | P. Gerardus Gumpertz pastor ad S.  |                 |
| P. Sandrardus Cremers sacerd. et mon.                               | 14. Oct. 1642.  | Antonium   | 25. Julii 1657. |
| P. Theodorus Now sacellanus   | 10. Maii 1643.  |  |                 |
| P. Godefrid. Kempens pastor Kempensis                               | 20. Nov. 1646.  |  |                 |

Illis ad claustrum admissis, et his ad coelum praemissis tandem et ipse reuerendissimus et amplectissimus DD. Petrus Sybenius, oppido Dahlensi oriundus anno 1596, professus anno 1616., electus et confirmatus anno 1635. abbas hujus monasterii, in spiritualibus et temporalibus verbo et exemplo praecipuus, omnibus sui relicto desiderio ad plures abiit et obiit anno 1659, 14. Octbr.

Siste pater, deus ecce vocat; satis esto laborum,  
Non moreris, sed ovans prænia digna capis.

Hoc sub abate in Monasterio Gladbacensi summa deuotione ueneratus est caput S. Laurentii caeterasque hujus loci reliquias Alexander VII. pontifex maximus, dum adhuc dictus Fabius Chisius ad tractum rheni nuntium ageret apostolicum.

## Reuerendissimus D. Bruno Charmans.

A b b a s X X X X I . i n r e f o r m a t i o n e X . e l e c t u s a n n o 1 6 5 9 , 1 6 . O c t o b r i s .



runone regente

Professi.

|   | Anno Aetatis<br>domini sueae. |                                    | Anno Aetatis<br>domini sueae. |
|---|-------------------------------|------------------------------------|-------------------------------|
| F. Benedictus Hom Nouesiensis           | 1660. 19.                     | F. Michael Brewers Gladbacensis    | 1663. 21.                     |
| F. Bruno Keuth Virsensis                | 1660. 19.                     | F. Josephus Beiters Dulckensis     | 1664. 18.                     |
| F. Dominicus Veruers Bruxellensis       | 1661. 18.                     | F. Andr. Butgen Caesaris insulanus | 1664. 24.                     |
| F. Bernard. Weyenhorst Geldriensis      | 1661. 21.                     | F. Gero Schönenbeck Ercklinensis   | 1664. 23.                     |
| F. Franciscus Cleuen Falcomontensis     | 1661. 20.                     | F. Eugenius de Randerath Rurae-    |                               |
| F. Coelestinus Schlösser Dulckensis     | 1661. 19.                     | mundanus                           | 1664. 21.                     |
| F. Norbertus Dulcks Vdensis             | 1662. 18.                     | F. Alexander Cann Heinsbergensis   | 1665. 20.                     |
| F. Aemilianus Stappen Gladbacensis      | 1662. 20.                     | F. Maximilianus Busch Dulckensis   | 1665. 23.                     |
| F. Ignatius Hermbges Gladbacensis       | 1662. 22.                     | F. Robertus Hogenthal Dulckensis   | 1665. 22.                     |
| F. Basilius Euerhartz Sittardiensis     | 1663. 25.                     | F. Vincentius v. Kamp Sittardiens  | 1665. 21.                     |
| F. Bruno von Randerath Ruraemundanus    | 1663. 22.                     | F. Martinus Bischoff Kempensis     | 1667. 21.                     |
| F. Albertus Sybenius Dulckensis         | 1666. 24.                     | F. Daniel Lustraten Virsensis      | 1667. 20.                     |
| F. Euerhardus Nakatenus Gladbacensis    | 1666. 26.                     | F. Hubertus Bahnen Gladbacensis    | 1667. 18.                     |
| F. Baldericus Falderen Geldriensis      | 1666. 22.                     | F. Georgius Orth ex Creuelt        | 1670. 20.                     |
| F. Albericus de Randerath Ruraemundanus | 1666. 19.                     | F. Otto Schaffhausen Sittardiensis | 1674.                         |
| F. Gabriel Keuth Virsensis              | 1667. 20.                     | F. Bernardus Hoff ex Korschenbroch | 1680. 23.                     |
| F. Joachimus Laden Burgensis            | 1667. 19.                     |                                    |                               |

Defuncti.

|  |                 |   |                 |
|--|-----------------|---|-----------------|
| P. Carolus Linnich sacerd. et monachus | 20. Apr. 1661.  | P. Johann Eschweiler pastor Hartensis   | 16. Oct. 1669.  |
| P. Bruno Keuth monachus professus      | 8. Dcbr. 1661.  | P. Maximilian Busch nouitus             | 21. Jan. 1670.  |
| P. Vitus ab Imbsterat sacrista         | 13. Sept. 1662. | F. Joachimus Hensen nouitus             | 18. Sept. 1670. |
| P. Sandrardus Keuth sacerd et monach.  | 10. Febr. 1663. | P. Otto Umlauff sacellanus Kempensis    | 30. Jan. 1672.  |
| P. Odo Keutenbrewer sacerd. et monach. | 27. Oct. 1663.  | P. Herm. Packenius sacerd. et monachus  | 28. Sept. 1671. |
| P. Bernardus Weyenhorst Culinarius     | 24. Aug. 1664.  | P. Modestus Sels pastor ad S. Antonium  | 22. Jan. 1674.  |
| P. Mathias Pons decanus et pastor Dul- |                 | P. Anselm. Genneper pastor Kempensis    | 29. Nov. 1674   |
| kensis                                 | 4. Jan. 1665.   | P. Herm. Packenius sacerd. et monach.   | 28 Sept. 1671.  |
| P. Benedictus Stam supprior            | 18. Apr. 1665.  | F. Matthaeus Kocks Conversus            | 3. Nov. 1678.   |
| P. Petrus Huls sacerdos et monachus    | 21. Apr. 1665.  | F. Clemens Gerresheim conversus         | 1678.           |
| P. Albericus Gangelt sacrista          | 7. Apr. 1666.   | P. Vitus Titius praepositus in Bocholz  | 11. Feb. 1678.  |
| P. Georgius Nagel Cellerarius          | 18. Aug. 1666.  | P. Anselmus Tergaten prior              | 18. Sept. 1679. |
| F. Romanus Beckers laicus              | 23. Oct. 1666.  | P. Ignatius Hermbges sacerd. et monach. | 17. Feb. 1680.  |
| F. Matthias Voglers Don. professus     | 18. Mai 1667.   | P. Bartholomaeus Bruis pastor in Oedt   | 11. Apr. 1680.  |
| P. Joannes Hoesen pastor in Wyler      | 11. Junii 1669. | P. Otto Schaffhausen sacerd. et mon.    | 28. Juni 1680.  |

Tandem et ipse reueuendissimus D. Bruno Charmans Gladbacensis abbas spiritualibus et temporalibus longe meritissimus, vitam hanc mortalem cum regimine posuit, anno 1680, 28. Oct., aetatis 63, regiminis 21. immortali sui nominis gloria et memoria perennibus monumentis consignata posteritati relictis. cuius animae lector sanctam pacem precator.<sup>1</sup>

Heu cecidit Bruno nostri decus ordinis abbas,

Non obiit, melior redditia vita semi est.

Fataque dant illi magno pro munere lethum,

Tempore quo triste est viuere, dulce mori.

Sepultus est in naui ecclesiae ad marmoreum lapidem aquae benedictae.

Sub hoc abbate assumpti sunt F. F. Lacei sequentes.

|                                   |       |                               |       |
|-----------------------------------|-------|-------------------------------|-------|
| F. Stephanus Bierems Gladbacensis | 1661. | F. Reinoldus Porten Kempensis | 1664. |
| F. Romanus Becker                 | 1661. | F. Sandrardus de Maube        | 1670. |

<sup>1</sup> Manuscriptum meum addit: Prioris officium postquam in decimum quartum laudabiliter perfunctus fuisset, ruerend. domino Petro Sybenio et viuis sublato concordibus votis in defuncti successorem electus est 16. Oct. 1659, eodemque anno 6ta Nov. confirmatus ac in basilica S. Vrsulae et sociarum coloniae solemniter a reuerend. domino Paulo Strauio, suffraganeo, inaugurate. Quem vt priorem monasterium sensit discipliuare reformatorem, sic abbatem gaudet sui ex fundamentis restauratore.

F. Clemens Gerresheim ex Wickrath  
F. Gerardus Zerhis Viresensis

1671. F. Lembertus Jansen ex Kochum.  
1679.

1679.

Tempore praefati abbatis Brunnonis caput S. Viti, S. Lavrentii, et caput S. Christinae caeterasque hujus Monasterii sacras reliquias tenerima animi deuotione venerati sunt serenissimus et reuerendissimus dominus Maximilianus Henricus archiepiscopus et elector coloniensis, reuerendissimi et celsissimi principes Franciscus Egon et Marquardus cathedralium ecclesiarm Argentinensis et Eystettensis episcopi, aliisque plures comites et barones.

Tria quoque eleuata sepulchra in monasteriali crypta consentiente archiepiscopo aperta sunt prout sequens relatio docet.

Ego infrascriptus attestor et notum facio, quod anno domini supra millesimum sexcentesimo sexagesimo quinto, die quidem martis 25. Aug. reuerend. et amplectissimus dominus D. Bruno Charmans abbas monasterii S. Viti martyris in Gladbach etc. dominus noster honoratissimus proposuerit mihi ea de causa ad se accersito commissum sibi a reuerendissimo et serenissimo domino archiepiscopo et principe electore colonensi domino nostro clementissimo, ibidem 15. et 16. currentis mensis Augusti praesente et sacra loca monasterii visitante, quatenus pro opportunitate sepulchra vel monumenta in crypta altiori tumulo insignia reseraret visitaretque, ut si quae ibidem invenirentur reliquiae insigniores, aut corpora patrum nostrorum, sanctorum monachorum, ea pro decentia, etiam vel ipsa sua serenitate accedente eleuarentur, et majori honore afficerentur. Suae itaque amplitudini decretum esse, ea et non alia intentione sepulchra praefata aperire, ad dei et charorum suorum majorem honorem, requirere itaque me, ut huic reserationi testis assisterem, et quid inveniretur diligenter adnotarem. Praefata itaque die martis circa horam 12. meridianam benememoratus D. abbas, R. P. prior Anselmus Tergaten, ego, et frater Paulus Gerkens laicus intrauius cryptam Gladbacensem antedictam, et tumulum supra terram ad duos circiter pedes eleuatum, et lapide exstructum, tegente superne integro saxo ante altare sti Pantaleonis versus meridiem situatum in dei nomine deteximus, lapides leppi deposuimus, et inferne aggestam tellurem demoliti sumus, cumque circiter pedis profunditate perueniremus deorsum, invenimus tophum, non quidem sepulchrum, quod erat circiter 6. vel 7. pedum, sua magnitudine adaequantem, sed duorum pedum magnitudinem in quadrum non excendentem, cui cum circumpositam terram exhumaremus, invenimus hunc tophum alteri lapidi superpositum et quasi pro operculo seruientem, amoto enim hoc lapide, alium, lapidem in quadrum per modum scutellae excavatum, cui sacrae reliquiae impositae erant, reperimus. Reliquiae autem erant hujusmodi, erat cranium hominis parte convexa lapidem versus depositum, huic autem cranio suppositum erat os sacrum, tantae longitudinis, ut utrimque cranium unius digiti longitudine circiter excederet. Invasit nos sacer quidam horror invenientes thesaurum magna sollicitudine a majoribus depositum, forsitan ut per reliquias illas loco tum temporis instruendo majorem conciliarent a deo protectionem, vel quae alium subierit animum nostrum cogitatio deus nouit. Ex mandato interim amplitudinis D. abbatis astantis cranium reuerenter subleuavi, eidemque os sacrum in manus dedi, quod luci illatum talem referebat scripturam: Hae sunt reliquiae Sancti Alberici etc. pluribus in oblongum adhuc expressis litteris, sed prae vetustate fugientibus et illegibilibus. Venerati sumus reliquias qua potuimus devotione, et diligenter inspectas reposuimus, ut ante fuerant, apprehensionem tamen digitorum vix sustinentes, sed prae vetustate sitque in fauillam desinentes, maxime crano. Petivimus et oravimus deum humilibus suspiriis, vt sanctus, cuius reliquiae hae sunt, noster apud deum intercessor esse dignetur, ut easdem repositas lapide super imposito cooperuimus tumulum et aggestam humum iam regestam ut prius clausimus, et in domino regressi sumus ad monasterium.

Succedente die Jovis, quae erat 27. ejusdem mensis Aug. reuerendissimus dominus praelatus antememoratae suae serenitatis archiepiscopi et principis electoris coloniensis menti, ac propriae sanctorum honorandi inclinationi obsequendo, veteriorem adhuc duorum in crypta existentium sepulchrorum apertione exequi decreuit. Intrauius itaque saepe dictam cryptam hora circiter secunda post meridiem, et alterum sepulchrum supra terram, ut superius, eleuatum, et ante crucifixum versus aquilonem a priori collocatum, et in medio trium editorum sepulchrum constitutum reuerenter aperuimus. Lapide itaque supremo, quae erat lignea catasta circumseptus, sed agesta humo deposita, cum ad profunditatem sesqui pedis circiter in terram defodisset F. laicus, invenimus lapidem marmoreum colore albicante, longum,  $6\frac{1}{2}$  pedes, latum pedem et semis, reinati diligentius quid hoc lapidis esset, eum esse operculum seu tegumentum alicujus sarcophagi quo demortui hominis corpus contineretur, comperimus, amolentes ergo hunc lapidem, invenimus arcam lapideam quatuor diuersis lapidibus, magnitudine superiori correspondente exstructam, et in modum cistae profundam, et huic loculo inclusum erat ac sepultum corpus hominis, qui fuerat abbas, ut collegimus hujus loci, erat enim vestitus habitu religiosa, qui apprehensus non sustinebat digitos, sed statim in puluerem desinebat, habebat sandalia in pedibus, quorum unam partem, pedis dextri plantam tegentem exemimus, penitusque inspeximus Baculus seu pedum pastorale collocatum erat ad dexterum latus, cuius superiorem partem, aereo cuspidi decurvata reuerendissimus D. praelatus secum sumpsit; calix stanneus humilior usualibus, pectori erat impositus, nihil continens nisi favillam et cinerem. Caput erat alba fauilla et praeterea nihil, reliqua ossa adhuc quidem palpablia eandem materiam minitabantur. Precati sumus, requiem aeternam, quiescenti domino abbati, procul dubio ex hujus monasterii primis, et si superorum iam gauderet sedibus, ut nostri memor sit apud deum et loculum clausimus, operiens tamen lapis sacrophagum, ubi repositus est, accepit scissuram in medio latitudinis.


Quo facto tertium in crypta construetum tumulum magis ad aquilonarem plagam et quidem e regione principalis ibidem altaris b. virginis aggressi sumus. Majoris erat laboris hujus reseratio, quia coemento, et indurata calce, undique supra scilicet et infra terram erat offirmatus. Cum vero duobus pedibus profundam eruissemus, terram, de eodem marmore quo ante reperimus, lapidem oblongum, et superne non nihil orbiculatum erat longus pedes octo, et latus duos, quo laboriose amoto, invenimus ei suppositum et correspondentem sarcophagum, non diuersis quatuor ut ante, sed uno solido lapide excisum, et corpus seu potius cinerem humanum continentem, nulla tamen scripto ad posteritatem insignitum, prout nec in superiori. Admirati sumus antiquitatem tanto conatu corpora sub terra custodientem, diuersimode a nostris temporibus, quibus major super terram ad conspectum et memoriam posteriorum insumitur labor et impensa, Apparebat autem pium ibi quiescentem fuisse sacerdotem et monachum, floccum siquidem monachalem habebat super faciem deductum, et calicem stanneum in pectore, cuius iam pes corruptus erat; vestimentum ejus erat floccus, seu habitus religiosus ex tenuiori tela non lana, sed rascia vel alia tenuioris texturae, cui superinduetum erat superpellicium, non tamen ultra genua. utraque haec protensa erant, cum superius funus talo tenus habuerit vestimentum. Crepidis ut colligere potuimus indutus erat ex coreo, vestimenta adhuc sustinebant attactum, partes etiam integras decerpsumus, et d. abbati astanti palpandas porrexiimus. Sacrophagus erat longus ut praefectur octo circiter meos pedes, et corpus sepulti hanc longitudinem non assequebatur, sesqui pedes distans. Caput et reliqua ossa totius corporis ita deperierant in cinerem, puluerem et fauillam resoluta, ut dubitares, num ibi aliquando corpus hominis collocatum fuisse, praeter cinerem album, nihil corporis humani erat videre, verum inanitatis humanae monumentum et viuum speculum. Precati sumus pie quiescenti ibidem, et tubam novissimam praestolanti confratri, et dominum abbatem loculum denuo per fratrem laicum claudi jubentem ad septa monasterii secuti sumus. Notandum autem quod hi duo veri sacerdotes pedibus versus orientem sepulti fuerint.

Haec ita anno et die quibus supra ad honorem dei et sanctorum ejus gesta et actitata sunt, quae ut omnibus et quibusunque pro habenda notitia seruirent maxime iis, qui aliquando cupiditate sciendi, quid hisce monumentis tegeretur, exstimalari possint, hinc a reuerendissimo domino abate jussus tenui quidem minerva, vera tamen conscientia conscripsi.

F. Anselmus Gennepi,  
monasterii gladbacensis professus, humilis pastor kempensis.

### Reuerendissimus D. Ambrosius Steingens.

Abbas XXXII et in reformatio XI. electus anno 1680. 20. Novembris.



Ambrosio regente

#### Professi.

|                                  | Anno aetat.<br>dni. suae. | Anno aetat.<br>dni. suae.         |
|----------------------------------|---------------------------|-----------------------------------|
| F. Ambrosius Manteu Gladbacensis | 1681. 22.                 | F. Conradus Melis Ruraemundanus   |
| F. Vitus Sybenius Gladbacensis   | 1682. 18.                 | F. Petrus Knorr Cornelionast.     |
| F. Sandrardus Gross Bonnensis    | 1682. 24.                 | F. Odo Illem ex Geldro-Capellen   |
| F. Benedictus Moshouel Reesensis | 1684. 27.                 | F. Leonardus Lauven ex Elmpt      |
| F. Gregorius Menghius Virsensis  | 1684. 27.                 | F. Josephus Salm Coloniensis      |
| F. Anselmus Lubler ex Huls       | 1684. 22.                 | F. Beda Hallet Aquensis           |
| F. Edmundus Nouffer Kempensis    | 1687. 21.                 | F. Seruatius van den Berg Rurae-  |
| F. Laurentius Kolck Roterodamus  | 1687. 23.                 | mundanus                          |
| F. Bruno Lanio Dahlensis         | 1687. 21.                 | F. Coelestinus Knorr Cornelio-Mo- |
| F. Basilius Keuth Aquensis       | 1687. 21.                 | nasteriensis                      |

Anno aetat.  
dni. suae.

|  |           |   |           |
|--|-----------|---|-----------|
| F. Franciscus Schroders ex Beeck           | 1693. 24. | F. Ignatius Stephani Bonnensis            | 1700. 19. |
| F. Gero Maus Gladbacensis                  | 1698. 20. | F. Antonius Siegers Gladbacensis          | 1700. 19. |
| F. Sandrardus Buzenius Erckliniensis       | 1698. 23. | F. Wolphelmus Heffennmenger Juliacensis   | 1700. 25. |
| F. Hieronymus Schiffers Juliacensis        | 1698. 27. | F. Theodorus Brammerts Cornelio Monaster. | 1701. 19. |
| F. Joannes Kloubert Cornelio Monasteriens. | 1698. 20. | F. Bonifacius Jacobi Gladbacensis         | 1701. 19. |

## Defuncti.

|  |                 |  |                 |
|--|-----------------|--|-----------------|
| P. Eugenius de Randerath sacerdos et monachus      | 24. Dec. 1681.  | P. Vincentius Kamp monachus            | 10. Oct. 1689.  |
| P. Quirinus Hulsen pastor Hartensis                | 26. Mart. 1682. | P. Sandrardus Gross spindarius         | 29. Dec. 1689.  |
| P. Sigism. Husken pastor Gladbacensis              | 2. Feb. 1683.   | P. Seruat. Endepoel sacerd. et monch.  | 17. Mart. 1691. |
| P. Edmundus Setterich pastor s. Anton.             | 4. Juli 1683.   | P. Philippus Heiden sacerd. et monach. | 10. Juni 1691.  |
| P. Benedictus Hom sacrista                         | 19. Jan. 1684.  | P. Gabriel Keuth sacellanus in Oedt    | 4. Apr. 1692.   |
| P. Basilius Euerharts Cellerarius                  | 30. Maii 1684.  | P. Franciscus Kleuen s. theologiae Dr. | 3. Sept. 1692.  |
| P. Coelestinus Schlösser lector theolog.           | 29. Apr. 1685.  | P. Hieronymus Cleuen pastor Hartensis  | 4. Maii 1696.   |
| P. Laurentius Drift vicarius generalis Baderbornae | 29. Apr. 1686.  | P. Robertus Hogenthal sacrista         | 8. Sept. 1696.  |
| P. Bruno Randerath sacerd. et monach.              | 7. Jan. 1687.   | P. Rudolph. Steingens pastor Vorstens. | 5. Dec. 1696.   |
| P. Conradus Neigen pastor Gladbacensis             | 17. Apr. 1687.  | P. Romualdus Calmont pastor in Ober-   |                 |
| P. Hubertus Bahnen theologiae lector               | 4. Aug 1688.    | Luzingen                               | 9. Dec. 1697.   |
| P. Josephus Beiters sacerd. et monachus            | 13. Dec. 1688.  | P. Mart. Bischoffs sacerd. et monach.  | 7. Junii 1699.  |
| P. Georgius Orth theologiae lector                 | 3. Feb. 1689.   | P. Wolphelmus Sittart praepositus in   |                 |
| P. Gero Schonenbeck Cellerarius                    | 19. Sept 1689.  | Bocholz                                | 11. Aug. 1700.  |
|  |                 | P. Bonifatius Steinvartz pastor Gladb. | 13. Nov. 1700.  |
|  |                 | P. Maurus Hensen pastor in Oedt        | 20. Oct. 1701.  |

Hos viam universae carnis ingressos secutus tandem est reuerendissimus et perillustris D. Ambrosius Steingens patria kempensis, abbas et s. congregationis Bursfeldeusis praeses principalis, vir annis et meritis plenus anno 1703, 24. Novbr.

Hunc obiisse patrem caetus deplorat et orat, Ambrosius sancta pace quiescat, amen.

Sepultus jacet ante altare s. Scholasticae monumento a susseitore suo honoratus cum inscriptione sequentis carminis.

Conditur hac petra, dum petrae panditur aetra.

Abbatis nomen baptismale fuit Petrus et cognomen Steingens.

Sub hoc abbatte assumpti sunt FF, laici sequentes

|                             |                                       |       |
|-----------------------------|---------------------------------------|-------|
| F. Romanus Baum Nouesiensis | 1684. F. Paulus Spelters Gladbacensis | 1694. |
|-----------------------------|---------------------------------------|-------|

## Defuncti.


|                        |                       |
|------------------------|-----------------------|
| F. Paulus Gerckes.     | F. Paulus Mylendonck. |
| F. Theodorus Odendahl. |                       |

Anno 1693 seruatum est capitulum generale in hoc monasterio, cui praesedit reuerendissimus et perillustris Aegidius Romanus abbas ad s. Pantaleonem, congregationis Bursfeldensis praeses principalis, interfuerunt praeter praesidem 17. abbates et prior corbejensis Florentius von der Velde.

Sub hoc abbatte ss. reliquias hic venerati sunt serenissimi principes, germani fratres Eugenius et Philip-pus de Croy. Item illustrissimus et reuerendissimus dominus Reginaldus episcopus Ruraemundensis.

**D. Petrus Knorr.**

Abbas XLIII. et in reformatio-ne XII. electus 1703 4. Decemb.



etrus Knorr origine Cornelio indensis a teneris annis ingenio ac moribus supra aetatem maturior in studiis se semper praecellentem exhibuit: ad religionem Benedictinam in monasterio Gladbacensi anno 1689 admissus, ab et sub domino abate Ambrosio Steingens professus 1691, eiusdem abbatis, qua almae unionis Bursfedensis praesidis, ob dotes in scribendo et componendo praecipuas multis annis egit secretarium, post cuius mortem in eius locum cum omnium applausu meritissimus successit annorum 32. cuius aetatem non in annis sed in singularibus eiusdem donis computavimus. Fuit namque hic praesul ob eximias, quibus ad deo ditatus erat dotes ac qualitates, non tantum abbatiali dignitate, verum etiam longiori in eadem regimine dignissimus. Eius in omni scientiarum genere versatissimi habilitatem in agendis ac prudentiam in consiliis, merito venerabantur omnes, revera vir potens in opere et sermone. Insuper in sua nunquam satis laudanda conversatione adiungebat profundae doctrinae tanta cum humanissima affabilitate amabilitatem, ut non solum omnes omnium suorum animos, verum etiam magnorum principum corda suavissime

vincens, magnam sui sibi ipsi conciliaverit aestimationem. Magnos dominos ita inflexit, ut ex hostibus monasterii amicos effecerit. Praecipue apud serenissimum Electorem Johannem Wilhelmum Dusseldorpium in pretio habitus et ab ipso preciosissimis in auro et argento honorariis pro exequis imperatoris Leopoldi, Petri regis Portugaliae, Isabellae electricis, imperatoris Josephi, quas aut ipse celebravit aut quibus assistit, est honoratus. In temporalibus aequis ac spirituibus praefuit tam paterne, profuit tam solicite, ut eiusdem in utroque genere dexteritas fuerit admiranda. Dilexit decorem domus dei, vasa aurea et argentea. Similique materiae inclusit reliquias sanctorum scilicet caput, s. Laurentii, s. Christinae, brachium s. Wolpelmi, s. Stephani et s. Viti. Abbatiam maxima ex parte funditus de novo extruxit, stetitque pro monasterii juribus veluti murus inexpugnabilis et petra inconcussibilis. Quam in finem propria manu plurima conscripsit, antiquissima documenta et scripta omnia incomporabili industria perlegit, registravit, rubricavit totumque archivium ad tam accommodatissimum perduxit ordinem, ut aeternam sui nominis memoriam nobis reliquerit. Paucis, hic quantus vir fuerit, facilius propria facta, quam aliena verba expresserint.

Interim divinae bonitati placuit per concurrentem cum catarro suffocatio febrim anno 1725 17. feb. praematura morte ad se evocare animam, aetatis 54. regminis 22. Non erat vir melior illo.

Sepultus est in medio navis ecclesiae, immediate retro sepulchrum abbatis Aegidi a Bocholtz ac eiusdem lapidi sepulchrali successor hoc carmen apposuit: Haec petra abbatis continet ossa Petro, cui sequentia adjunxit:

Hic reuerendissimus Petrus fractis ad hanc petram persecutionum procellis, tandem et ipse non senio, sed laboribus fractus, non annis sed meritis gravis, a terris abiit, perpetuaeque securitatis portum adiit immortaliter apud posteros victurus memoria.

Haec petra est rapidis mortis concussa sagittis,  
Aethereis nunquam concutienda plagis.

#### Sub cuius regimina professi.

|                                     | aetatis | anno. |   | aetatis | anno. |
|-------------------------------------|---------|-------|---|---------|-------|
| F. Petrus Kraus Aquensis            | 20.     | 1705. | F. Clemens Harnischmecher Gladbacensis  | 19.     | 1717. |
| F. Jacobus Meyfisch Gladbacensis    | 20.     | 1705. | F. Sebastianus Berchem Tolbiacensis     | 24.     | 1717. |
| F. Thomas Hoster Gladbacensis       | 21.     | 1705. | F. Bernardus Coenen Tolbiacensis        | 22.     | 1717. |
| F. Philippus Ingemes Ruraemundanus  | 22.     | 1705. | F. Gallus Mostart Aquensis              | 16.     | 1717. |
| F. Matthias Mengels Porcetanus      | 20.     | 1707. | F. Ludowicus Opraeth Xantensis          | 23.     | 1718. |
| F. Cornelius Hurter ex Stein        | 26.     | 1707. | F. Vivcentius Marbaise Verviensi        | 20.     | 1718. |
| F. Bartholomäus Gysen Ruraemundanus | 26.     | 1707. | F. Athanasius Baumann Xantensis         | 23.     | 1718. |
| F. Martinus Krantz ex Louenich      | 23.     | 1707. | F. Mathaeus Engels Montensis ex Eller   | 26.     | 1719. |
| F. Andreas Aretz Erkliniensis       | 20.     | 1708. | F. Lucas Menghius Virsensis             | 20.     | 1720. |
| F. Lambertus Mols Dulkensis         | 27.     | 1710. | F. Marcus Lodorff ex Oedt               | 20.     | 1720. |
| F. Maurus Aretz Erkliniensis        | 20.     | 1711. | F. Leo Severins Gladbacensis            | 20.     | 1721. |
| F. Placidus Requile Visitensis      | 20.     | 1711. | F. Barnabas Erlewein ex Vrdingen        | 20.     | 1721. |
| F. Michael Scheffens Coloniensis    | 20.     | 1713. | F. Gregorius Kaufmans ex Huls           | 25.     | 1722. |
| F. Augustinus Tendaer Geldriensis   | 24.     | 1713. | F. Ambrosius Spechts ex Corschenbroich  | 19.     | 1722. |
| F. Laurentius Schröders ex Vücht    | 17.     | 1713. | F. Augustinus la Naiffe Malmundariensis | 26.     | 1722. |
| F. Stephanus Jansen Ruraemundanus   | 23.     | 1713. | F. Hyronimus Meyer Erkliensis           | 23.     | 1724. |
| F. Dionysius Hoster Gladbacensis    | 21.     | 1715. | F. Aegidius de Hesselle ex Herl         | 23.     | 1724. |
| F. Casimirus Maus ex Sinzenich      | 23.     | 1715. | F. Isidorus Pesch Gladbacensis          | 22.     | 1724. |
| F. Nicolaus Scheuth Kempensis       | 20.     | 1716. | F. Petrus Schutt Kempensis              | 26.     | 1724. |
| F. Carolus Pelser Aquensis          | 22.     | 1716. | F. Bruno Schorn Dusseldorpiensis        | 21.     | 1724. |

#### Defuncti.

|  | mensis | anno.       |                                      | mensis | anno.       |
|--|--------|-------------|--------------------------------------|--------|-------------|
| P. Norbertus Dulcks pastor Hartensis               | 17.    | Sept. 1706. | P. Bruno Lanio pastor Gladbac.       | 23.    | July 1717.  |
| P. Placidus Hillebrinck sac. et mon.               | 27.    | Sept. 1707. | P. Thomas Hoster lector philosoph.   | 4.     | Maji 1718.  |
| P. Andreas Butgenius sac. et mon.                  | 14.    | Nov. 1707.  | P. Ambrosius Manten pastor Gladb.    | 3.     | Nov. 1718.  |
| P. Ausgustinus Lefebue pastor et dec.<br>Dulkensis | 20.    | Juli 1708.  | P. Mathias Mengels sacel. Kempen.    | 18.    | April 1719. |
| P. Baldericus Falderen Sacel. Vorten               | 14.    | Dec. 1709.  | P. Dominicus de Verver sac. et mon.  | 28.    | April 1719. |
| P. Joachimus Laden sac. et mon.                    | 21.    | Oct. 1710.  | P. Augustinus Tendaer sac. et mon.   | 23.    | Oct. 1719.  |
| P. Laurentius Kolk sac. et mon.                    | 16.    | Juli 1710.  | P. Aemilianus Stappen sac. et mon.   | 22.    | Nov. 1720.  |
| P. Hieronimus Schieffers sac. et mon.              | 13.    | Oct. 1712.  | P. Maurus Arez sacel. Gladbac.       | 22.    | Nov. 1720.  |
| P. Justinus Müller sac. et mon.                    | 25.    | Sept. 1713. | P. Antonius Siegers sacel. Gladb.    | 16.    | Dec. 1721.  |
| P. Daniel Lustraten pastor Vorst.                  | 12.    | Dec. 1713.  | P. Petrus Kraus sacel. Dulck.        | 14.    | Juni 1722.  |
| P. Alexander Kann praepositus in<br>Boicholz       | 9.     | Aug. 1714.  | P. Theodorus Brammertz pastor Weil.  | 31.    | Aug. 1722.  |
| P. Basilius Keuten pastor Weiler.                  | 20.    | Sept. 1716. | P. Cornelius Hürten spindarius       | 8.     | Sept. 1722. |
| P. Everhardus Nackaten past. Kemp.                 | 20.    | Sept. 1716. | P. Ignatius Stephani pastor Vorst.   | 24.    | April 1724. |
| P. Albertus Sibenius sac. et mon.                  | 29.    | Oct. 1716.  | P. Andreas Aretz pastor Vorsten.     | 4.     | Dec. 1724.  |
| P. Gregorius Menghius cellararius                  | 26.    | Febr. 1717. | P. Benedictus Moshövel pastor Oed.   | 20.    | Dec. 1724.  |
| P. Bernardus Hoff sacel. Dulck.                    | 15.    | April 1717. | P. Anselmus Lubler prior in Boicholz |        | 1724.       |
|  |        |             | P. Isidorus Pesch subdiacones        | 2.     | Febr. 1725. |



**D. Servatius von dem Berg.**

Abbas XLIV. et in reformatione XIII. electus anno 1725. 28. Febr.



eruatus patria Ruremundanus ex pastore Hartensi anno 1725 28. Februarii electus abbas, mense martis confirmatus, et 8. Aprilis reuerendissimo domino Casparo episcopo Rodiopolitano colonensi suffraganeo, assistantibus abbatibus Michaele Rüttges Tuitensi et Etmundo Schmitz Brauweilerensi abbatibus in nostra ecclesia benedictus. Anno 1728 5. Sept. electus est praeses congregationis Bursfeldensis. Obiit 1750 in die pentecostes 17. Mai aetatis 76, professi 57, sacerdotii 51, regiminis 25, sepultus in sacello s. Crucis prope baptisterium. Non solum bonus, sed optimus et amantissimus pater confratrum suorum cuius obitum omnes merito dolent.

**Sub quo professi in ordine sequentes.**

|  | aetatis | anno. |                                    | aetatis | anno. |
|--|---------|-------|------------------------------------|---------|-------|
| Benedictus la Haye Ruremundanus            | 20.     | 1725. | Aemilius Goirmans ex Kaulhausen    | 27.     | 1733. |
| Servatius Vorst Cornelii münstrensis       | 20.     | 1726. | Emmanuel van Daelen Ruremundanus   | 20.     | 1737. |
| Ignatius Kölges Gladbacensis               | 20.     | 1726. | Vitus Kannengiesser Marcoduranus   | 18.     | 1737. |
| Franciscus Linnarz Gladbacensis            | 18.     | 1726. | Etmundus Schmitz ex Brauweiler     | 19.     | 1740. |
| Maurus Specht e Corschbroich               | 19.     | 1726. | Coelestinus Bergmann Xantensis     | 19.     | 1740. |
| Josephus Herrigen Dulkensis                | 19.     | 1726. | Henricus Birkenbusch ex Füssenich  | 20.     | 1741. |
| Andreas Philipsen Gladbacensis             | 21.     | 1727. | Johannes Schnabels Ruremundanus    | 22.     | 1741. |
| Dionysius Dahmen Ruremundanus              | 21.     | 1727. | Jacobus Reuter Novesinus           | 21.     | 1744. |
| Thomas la Naiff Malmündariensis            | 22.     | 1727. | Bruno Wiez ex Ravengiersburg       | 22.     | 1744. |
| Anselmus Sittardt Kempensis                | 20.     | 1728. | Gregorius Breyel ex Wanlo          | 20.     | 1744. |
| Gerardus Siegers Gladbacensis              | 20.     | 1728. | Paulus Maus Gladbacensis           | 19.     | 1744. |
| Theodorus Brandts Gladbacensis             | 19.     | 1728. | Martinus Mühlen Dulckensis         | 21.     | 1744. |
| Philippus Lodorff Oedensis                 | 19.     | 1728. | Gallus Hoster Gladbacensis         | 18.     | 1746. |
| Dominicus Menghius Oedensis                | 21.     | 1728. | Franciscus Brandts ex Jüchen       | 21.     | 1746. |
| Etmundus Denner Coloniensis                | 19.     | 1729. | Petrus Schmoll ex Breysich         | 23.     | 1746. |
| Placidus Fischer Kempensis                 | 19.     | 1729. | Gregorius Menghius Oedensis        | 18.     | 1746. |
| Henricus Gen-ender Gladbacensis            | 20.     | 1729. | Anselmus Nolten ex Waldfeucht      | 19.     | 1746. |
| Fridericus Blum Trajectensis               | 20.     | 1729. | Remigius Rüttges Viersensis        | 20.     | 1746. |
| Eugenius Heussen ex Lüttelforst            | 21.     | 1731. | Ferdinandus Golesheim Gladbacensis | 21.     | 1748. |
| Leander Schmitz ex Greffrath               | 18.     | 1731. | Placidus de Stockmans Cortracensis | 24.     | 1748. |
| Damianus Zerres sacerdos et canon. Dussel. | 25.     | 1733. | Leander Scherer Kempensis          | 20.     | 1748. |
| Lambertus Raves Dulkensis                  | 19.     | 1733. | Ludowicus Dickmann Laicus          |         | 1730. |
| Beda Aegidii ex Neersen                    | 18.     | 1733. | Antonius Filzen Laicus             |         | 1746. |

**Sub hoc abbate defuncti.**

|  |       |   |       |
|--|-------|---|-------|
| Franciscus Schröder sacerdos et monachus     | 1725. | Etmundus Denner sacerdos et monachus      | 1738. |
| Josephus Salm sacerdos et monachus           | 1725. | Nicolaus Scheutt sacerdos et monachus     | 1740. |
| Dionysius Hoster pastor in Hardt             | 1727. | Joannes Klaubert pastor in Cornelimünster | 1741. |
| Philippus Ingemes prior in Königsdorff       | 1727. | Gallus Mostarz sacell. Gladbacensis       | 1742. |
| Etmundus Nouffer sacrista                    | 1728. | Anselmus Sittarz sacerdos et monachus     | 1742. |
| Conradus Melis sacerdos et monachus          | 1729. | Bruno Schorn sacerdos et monachus         | 1742. |
| Placidus Requile sacerdos et monachus        | 1729. | Jocobus Meyfisch pastor in Hardt          | 1743. |
| Ludowicus Oproeth sacell. in Königsdorff     | 1730. | Franciscus Linnarz sacerdos et monachus   | 1743. |
| Beda Hallet pastor ad S. Antonium            | 1733. | Sandrardus Butgenius pastor in Weyler     | 1743. |
| Barnabas Erlenwein Cellerarius               | 1731. | Leonardus Lauven pastor Kempensis         | 1744. |
| Lambertus Mols pastor in Vorst               | 1732. | Bartholomaeus Giesen sacerdos et monachus | 1745. |
| Vincentius Marbaise sacrista                 | 1732. | Petrus Schütt pastor Vorstensis           | 1745. |
| Martinus Kranz pastor Gladbacensis           | 1734. | Leo Severins sacell. in Oedt              | 1745. |
| Coelestinius Knorr pastor et dec. Dülckensis | 1735. | Gregorius Breyell subdiaconus             | 1746. |
| Gero Maus pastor in Cornelimünster           | 1735. | Philippus Lodorff sacell. in Vorst        | 1747. |
| Marcus Lodorff sacell. Kempensis             | 1736. | Leander Schmiz Novitiorum magister        | 1747. |
| Bonifacius Jacobi sacerdos et monachus       | 1736. | Odo Illem quondam prior claustral         | 1748. |
| Gregorius Kauffmans pastor Vorstensis        | 1736. | Casimirus Maus cellararius                | 1749. |
| Henricus Gen-ender sacerdos et monachus      | 1736. | Paulus Spellers laicus                    | 1726. |
| Vitus Sibenius senior                        | 1738. | Norbertus Meyer laicus                    | 1738. |

## Ambrosius Specht.

Abbas XLV. in reformatioне XIV.



lectus anno 1750 25. Maii ex praeposito Bocholtano, confirmatus, et Coloniae 2. Augusti a reuerendissimo domino Caspero de Franken-Sierstorp, suffraganeo colon. assistantibus dominis abbatibus Francisco Spitz ad sanctum Martinum majorem et Leonardo Janssen Knechtstedensi benedictus. Obiit 1772 26. July aet. 69, profess. 50, sacerd. 46, regim. 22, sepultus in capella sanctae crucis sub altaris suppedaneo.

Sub que professi in ordine sequentes.

|                                   | aetatis | anno. |  | aetatis | anno. |
|-----------------------------------|---------|-------|--|---------|-------|
| Michael Hoster Dulkensis          | 23.     | 1754. | Bernardus Contzen Aquensis             | 1763.   |       |
| Odo Kalcher ex Awenheim           | 20.     | 1754. | Clemens Merzbach ex Ersdorff           | 22.     | 1763. |
| Sandrardus Preister Confluentinus | 22.     | 1754. | Isidorus Pütz Aquensis                 | 20.     | 1763. |
